

University of St. Michael's College
3 1761 08051752 7




TRANSFER


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY



NOUVELLE

REVUE THÉOLOGIQUE.

TOME XX. — 1888.

Imprimi potest.

Tornaci, die 7 Januarii 1889.

G.-F.-J. BOUVRY, *Vic. Gen.*

Imprimi potest.

Engolismen, die 7 Januarii 1889.

† A.-L., *Ep. Engol.*

---

†

Attenta Censorum Ordinis approbatione imprimi potest.

Romæ, die 7 Januarii 1889.

Fr. BERNARDUS AB ANDERMATT,
Ord. Capuc. Min. Gener.

Bruxellis, die 7 Januarii 1889.

Fr. EDUARDUS A TURNHOLTO,
Min. Prov. Fr. Min. Capuc. ind.

NOUVELLE
REVUE THÉOLOGIQUE

OU SÉRIE D'ARTICLES ET DE CONSULTATIONS

SUR LE DROIT CANON,
LA LITURGIE, LA THÉOLOGIE MORALE, ETC.

PUBLIÉE SOUS LA DIRECTION

du R. P. PIAT de Mons,
De l'Ordre des Frères Mineurs-Capucins

ET DE

M. J. PLANCHARD,
Vicaire-Général d'Angoulême.

AVEC APPROBATION DES ÉVÊCHÉS DE TOURNAI ET D'ANGOULÊME.

Honorée d'un Bref de Sa Sainteté Pie IX.

TOME XX. – 1888.

PARIS
LIBRAIRIE INTERNAT. CATHOLIQUE
Rue Bonaparte, 66

LEIPZIG
L.-A. KITTLER, COMMISSIONNAIRE
Sternwartenstrasse, 46

H. & L. CASTERMAN
ÉDITEURS PONTIFICAUX, IMPRIMEURS DE L'ÉVÊCHÉ
TOURNAI
1888

NOUVELLE

REVUE THÉOLOGIQUE.

LETTRE ENCYCLIQUE
AUX ÉVÊQUES DE BAVIÈRE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII

EPISTOLA AD EPISCOPOS BAVARIÆ.



VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS BAVARIÆ

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Officio sanctissimo adducti muneris Apostolici, multum diuque, ipsi nostis, contendimus, ut res Ecclesiæ catholicæ apud Borussos haberent aliquando melius, atque in gradum dignitatis suum restitutæ, ad honorem pristinum amplioremque florescerent. Quæ consilia, qui labores Nostri, aspirante Deo et juvante, sic processere, ut præteritam querimoniam lenierimus, et spe teneamur de libertate catholici nominis plene ibidem tranquilleque fruenda. —

Nunc autem animus est cogitationes et curas singulari quodam studio ad Bavaros convertere. Non ea quidem caussa quod rem sacram eodem esse loco in Bavaria atque in Borussia erat, putemus; sed hoc optamus et cupimus, ut isto quoque in regno, quod catholica professione ab avis majoribusque gloriatur, incommoda quotquot insident de libertate detrahentia Ecclesiæ catholicæ, opportune resecentur. — Cujus maxime salutaris propositi ut ad effectum perveniamus, volumus et omnes aditus explorare, qui reliqui dentur, et quantum in Nobis auctoritatis opisque est sine cunctatione conferre. Atque vos opportune appellamus, Venerabiles Fratres, vestraque opera filios Nostros e Bavaria carissimos appellamus omnes, ut quæcumque ad rationes fidei et religionis in gente vestra curandas et provehendas pertinere videantur, ea vobiscum pro potestate communicemus, de iis tribuamus consilia, de iisque ad ipsos civitatis rectores fidenter instemus.

In sacris Bavarorum fastis, res repetimus haud incognitas vobis, bene multa sunt, de quibus Ecclesia et civitas concordem capiant lætitiam. Nam fides christiana, ex quo divina ejus semina, cura studioque summo sancti abbatis *Severini,* qui Norici apostolus extitit, aliorumque Evangelii præconum, in gremio regionis vestræ sunt sparsa, tam altas egit fixitque radices, nulla ut deinceps neque superstitionis immanitate, neque rerum publicarum perturbatione et conversione exaruerit penitus. Quare, sub exitum sæculi septimi, factum est ut, quum *Rupertus,* episcopus sanctus Vormatiensis, Theodone invitante Bavariæ duce, christianam fidem per easdem regiones exsuscitandam amplificandamque aggressus esset, sane multos, tum cultores fidei tum ejus amplectendæ studiosos, in media superstitione repererit. Ipse autem eximius princeps, Theodon, quo fidei urgebatur ardore, romanum iter suscepit, et pronus ad sepulchra SS. Apostolorum, itemque ad augustum Jesu Christi Vicarium, exemplum pietatis et conjunctionis Bavariæ cum hac Apostolica Sede primus edidit nobilissimum, quod alii subinde egregii principes sunt religiose imitati. — Per idem tempus Cardinalis *Martinianus,* episcopus Sabinensis, a sancto Pontifice Gregorio II, in Bavariam

legatus est, qui rebus catholicis subsidia et incrementa afferret, sociique additi *Georgius et Dorotheus*, cardinales ambo Ecclesiæ romanæ. Non ita multo post Romam ad summum Pontificem profectus est *Corbinianus* Episcopus Frisingensis, vir sanctimonia vitæ suique despicientia insignis, qui apostolicos Ruperti labores pari laborum industria confirmavit et auxit. Cui vero laus debetur præ ceteris, aluisse et excoluisse fidem in Bavaris, is facile est sanctus *Bonifacius*, archiepiscopus Moguntinus : ipse qui Germaniæ christianæ pater, apostolus, martyr immortali verissimoque præconio celebratur. Hic legationes peregit a romanis Pontificibus Gregoriis II et III, ac Zacharia, quorum maxima semper floruit gratia; eorumdemque nomine et auctoritate regiones Bavariæ in diœceses descripsit, atque ita hierarchiæ ordinibus constitutis, insitam fidem ad perpetuitatem commendavit. *Ager dominicus* (scribente ad ipsum Bonifacium sancto Gregorio II), *qui incultus jacebat, et spinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tuæ doctrinæ exarante, semen verbi suscepit, et fertilem messem protulit fidelitatis* (1). — Illo ex tempore Bavarorum religio, quantumvis ætatum decursu tentata acerrime, ad omnes rerum civilium casus salva et constans permansit. Etenim secutæ sont quidem turbæ illæ et contentiones imperii adversus sacerdotium, asperæ, diuturnæ, calamitosæ; in istis tamen plus vere fuit Ecclesiæ quod lætaretur in Bavaris, quam quod doleret. Summa autem consensione, a Gregorio XI, Pontifice legitimo, ipsi steterunt, effrenata dissidentium audacia neutiquam dimovente, frustra minitante; et, quod perarduum erat, longo inde intervallo, nihil vi atque impetu novatorum absterriti, fidei integritatem et veterem cum romana Ecclesia conjunctionem religiose semper servarunt. Quæ virtus et firmitudo patrum vestrorum eo magis prædicanda est, quod populos fere omnes eorum finitimos nova secta misere subegisset Sane Bavaris, qui eo erant luctuoso tempore, illa apposite congruebant, quibus Gregorius idem II, catholicos Thuringiæ homines,

(1) Ep. XIII, ad Bonifacium. — Cfr. Labbeum, Collect. Conc. v. VIII

a S. Bonifacio christiana sapientia imbutos, multo ante effatus erat, meritæ commendationis gratia, in quadam epistola ad optimates : *Insinuatam nobis magnificæ in Christo fidei vestræ constantiam agnoscentes, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare : nimia exultatione repleti, gratias debitas persolvimus Deo nostro et redemptori, bonorum omnium largitori, cujus gratia comitante, vos ad meliora et potiora optamus proficere, et ad confirmandum fidei vestræ propositum sanctæ Sedi Apostolicæ religiosis mentibus adhærere, et, prout opus poposcerit sacræ religionis, a memorata sancta Sede Apostolica, spirituali omnium fidelium matre, solatium quærere, sicut decet filios cohæredes regni a regali parente* (1).

Etsi vero Dei miserentis gratia, quæ superiore memoria gentem vestram tutata est benignissimeque complexa, optime in posterum tempus augurari, optime sperare Nos jubet, nihilominus ea omnia, quoad suæ cujusque sunt partes, præstare debemus, quæ plus habeant efficacitatis ad damna religionis sive accepta sarcienda, sive imminentia prohibenda ; ita ut christiana doctrina et instituta morum sanctissima ad plures quotidie se possint effundere lætissimisque fructibus latius redundare. Quod non eo dicimus, velut si caussa catholica idoneos magis minimeque timidos propugnatores apud vos desideraret ; probe enim novimus vos, Venerabiles Fratres, unaque majorem et saniorem partem tum sacri ordinis tum hominum externorum, haudquaquam frigere otiose ad certamina et pericula quibus cingitur premiturque Ecclesia vestra. Quapropter sicut non absimili caussa decessor Noster Pius IX, amantissimis litteris ad Episcopos Bavariæ datis (2), præclara eorum studia, sacris Ecclesiæ rationibus tuendis impensa summis laudibus extulit ; ita perlibenter Nos justam singulis laudem ultro palamque tribuimus, quotquot ex Bavaris

(1) Ep. v. Ad optimates Thuring. — Cfr. Labbeum, *ib.*

(2) Litt. *Nihil Nobis gratius,* die 20 Februarii an. 1851.

defensionem religionis avitæ susceperunt fortiter et egerunt. Verum, quibus temporibus providentissimus Deus Ecclesiam suam sævis procellis agitari permittit, acriores ipse a nobis animos viresque in auxilium paratiores optimo jure deposcit. Vos autem ad unum, Venerabiles Fratres, æque ut Nos, dolenter videtis quam aliena et quam iniqua in tempora Ecclesia inciderit; videtis cùm primis quo se loco habeant res vestræ, et quibus vosmetipsi difficultatibus conflictemini. Ergo intelligitis experiendo, munera vestra majorem quam antehac habere in præsentia amplitudinem, ad eaque vigilantiam et actionem, robur et prudentiam christianam debere vos enixius intendere.

Ac primum omnium ad clerum parandum et ornandum, auctores vobis hortatoresque sumus. — Clerus nimirum instar exercitus est, qui, quoniam instituta sua et suorum perfunctio munerum ita ferunt, ut, sub magisterio Episcoporum, cum christiana multitudine assiduo fere usu versetur, decus idcirco præsidiumque tanto amplius est rei publicæ allaturus, quanto et numero præstet et disciplina. Quapropter Ecclesiæ hæc fuit semper antiquissima cura, ut illos deligeret educeretque ad sacerdotium adolescentes, *quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros* (1); eademque, *ut adolescentium ætas... a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat* (2); ipsis proprias sedes et ephebea condidit, atque regulas, in sacro præsertim Concilio Tridentino (3), sapientiæ plenas præscripsit, *ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit* (4). Alicubi quidem quædam latæ sunt valentque leges, quæ sin minus impediunt, interturbant quominus uterque clerus sua sponte conflетur, suaque disciplina instituatur. Nos hac in re, quæ tanti interest quanti interesse maxime potest, sicut alias, ita nunc oportere existimamus, sententiam Nostram aperte eloqui, et omni qua possumus ratione jus Ecclesiæ sanctum inviolatum-

(1) Conc. Trid., Sess. XXIII, de reform. c. XVIII.
(2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid.

que retinere. Ecclesiæ nimirum, quippe quæ societas sit genere suo perfecta, jus nativum est cogendi instruendique copias suas, nocentes nemini, plurimis auxiliantes, in pacifico regno quod saluti humani generis Jesus Christus in terris fundavit.

Clerus autem concredita sibi officia integre profecto et cumulate explebit, ubi, curam Episcopis adhibentibus, talem e sacris seminariis disciplinam mentis animique sit nactus, qualem dignitas sacerdotii christiani et ipse temporum morumque cursus requirit; eum scilicet oportet doctrinæ laude, et quod caput est, summa laude virtutis excellere, ut animos hominum conciliet sibi atque in observantiam adducat.

Christiana sapientia, qua luce mirifica abundat, in omnium oculis niteat necesse est, ut tenebris inscientiæ, quæ est religioni maxime inimica, dispulsis, veritas longe lateque se pandat et feliciter dominetur. — Etiam refellantur oportet et convellantur errores multiplices, qui, vel ignorantia vel improbitate vel præjudicatis opinionibus exorti, mentes hominum perverse avocant a veritate catholica, et quoddam animis fastidium ejus aspergunt. Hoc munus permagnum quod est *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (1), ad ordinem pertinet sacerdotum, qui legitime habuerunt a Christo Domino impositum, quum divina ille potestate dimisit ad gentes universas docendas : *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ* (2); ita plane ut Episcopi, in Apostolorum locum sublecti, præsint magistri in Ecclesia Dei, presbyteri adjutores accedant. Sanctioribus hisce partibus plene perfecteque, si alias unquam, satis factum est in primordiis religionis nostræ sæculisque consequentibus, per eam, quæ diu exarsit, maximam dimicationem cum ethnicæ superstitionis tyrannide : unde tam amplam cohors sacerdotalis collegit gloriam, amplissimamque sanctissimus ordo Patrum et Doctorum, quorum sapientia et eloquentia in omnem memoriam et admirationem florebunt. Per ipsos nempe doctrina christiana subtilius tractata,

(1) Tit. I, 9. (2) Marc. XVI, 15.

uberius explicata, pugnacissime defensa, eo magis veritate et præstantia patuit sua, prorsus divina : contra jacuit doctrina ethnicorum, vel indoctis redarguta et contempta, ut quæ nihil sibi consentanea, perabsurda, inepta. Nequidquam vero connisi sunt adversarii, ut cursum eum sapientiæ catholicæ tardarent et intercluderent; nequidquam græcæ scholas philosophiæ, platonicam in primis et aristoteleam, magnificentioribus sane verbis objecerunt. Nostri enim neque istud quidem certaminis genus declinantes, ad philosophos ethnicos applicuerunt ingenia et studia : quæ quisque eorum professus esset incredibili pæne diligentia scrutati, consideraverunt singula, expenderunt, contulerunt : multa sunt ipsis rejecta aut emendata, non pauca ex æquo probata et accepta : hoc etiam ab ipsis apertum et prolatum est, ea quidem quæ ipsa ratione et intelligentia hominis falsa esse revincantur, ea tantummodo adversari doctrinæ christianæ, adeo ut huic doctrinæ qui obsistere velit et refragari, idem suæ ipsius necessario obsistat et refragetur rationi. Istiusmodi pugnatæ sunt pugnæ a patribus illis nostris, atque illustres partæ victoriæ, eæque non virtute modo armisque fidei partæ, sed auxiliis quoque humanæ rationis : quæ scilicet, lumen præferente sapientia cœlesti, ex rerum ignoratione complurium et quasi ex errorum silva, veritatis iter pleno gradu erat ingressa. — Hæc sane admirabilis fidei cum ratione consensio et conspiratio, quamquam operosis multorum studiis ornata est, tamen, in uno velut constricta ædificio unoque in conspectu exposita, elucet vel maxime in opere S. Augustini quod est *De civitate Dei*, pariterque in *Summa* utraque S. Thomæ Aquinatis : quibus libris conclusa profecto habentur quæcumque erant a quibusque sapientibus acute cogitata et disputata, ex iisque licet capita et fontes arcessere ejus eminentis doctrinæ quam nominant theologiam christianam. — Exemplorum tam insignium memoria utique per hos dies replicanda et fovenda est clero, quando ab adversis partibus vetera passim arma exacuuntur, vetera ferme prælia renovantur. Tantum hoc, quod olim repugnabant ethnici christianæ religioni, ne ab inveteratis numinum ritibus institutisque deducerentur; nunc autem

perditissimorum hominum opera pessima in eo certat, ut e christianis populis divina omnia documenta et pernecessaria, quæ sacra cum fide sunt indita, stirpitus evellant, atque eos deterius ethnicis habeant in miseriamque devolvant maximam, in omnis videlicet fidei religionisque contemptum et eversionem. Cujus impuræ pestis, qua nulla est detestabilior, illi initia fecere, qui homini tribuerunt natura tantum, ut de doctrina divinitus data posset quisque pro ratione judicioque suo cognoscere et decernere, minime vero auctoritati subesse deberet Ecclesiæ et Pontificis romani, quorum unice est, divino mandato et beneficio, eam doctrinam custodire, eam tradere, de ea verissime judicare. Inde præceps via patebat, patuit autem illis miserrime, ad omnia inficianda et amandanda quæ sunt supra naturam rerum et captum hominis posita : tum auctoritatem esse ullam, quæ a Deo dimanet, ipsumque Deum esse impudentius pernegaverunt; delapsi postremo in commenta et *Idealismi* insulsa et *Materialismi* abjectissima. Hanc tamen maximarum rerum inclinationem, qui *Rationalistæ* vocantur quive *Naturalistæ*, progressionem scientiæ, progressionem societatis humanæ, mentito nomine, appellare non dubitant, quæ revera utriusque pernicies est atque excidium.

Itaque, Venerabiles Fratres, cognitum perspectumque habetis quali ratione et via alumnos Ecclesiæ erudiri oporteat ad majores doctrinas, ut convenienter temporibus utiliterque in muneribus suis versentur. Hi nimirum, ut erunt humanitatis artibus informati et politi, præstantissima sacræ theologiæ studia ne attingant prius quam diligentem adhibuerint præparationem in studio philosophiæ. — Philosophiam eam intelligimus, intimam solidamque, altissimarum indagatricem caussarum, patronam optimam veritatis; cujus virtute neque ipsi fluctuent neve abripiantur *omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (1), et queant etiam doctrinis ceteris adjumenta veritatis subministrare, captionibus præstigiisque opinionum discussis et refutatis. Hujus rei gratia, ut opera magni

(1) Ephes. IV, 14.

Aquinatis essent in manibus et assidue apteque exponerentur jampridem monuimus, idemque sæpius inculcavimus verbisque gravissimis; et gestit animus optimos inde fructus esse a clero perceptos, perquam optimos uberrimosque spe certa exspectamus. Scilicet disciplina Doctoris Angelici mire facta est ad conformandas mentes, mire usum parit commentandi, philosophandi, disserendi presse invicteque : nam res singulas dilucide monstrat aliam ex alia continua serie pendentes, omnes inter se connexas et cohærentes, omnes ad capita pertinentes suprema; tum in contemplationem erigit Dei, qui rerum omnium et caussa effectrix est et vis et summum exemplar, ad quem demum omnis philosophia et homo quantus est, debent referri. Sic vere per Thomam scientia rerum divinarum et humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur, quum præclarissime illustrata, tum firmissime munita est : cujus conflictione disciplinæ, veteres sectæ errorum penitus corruerunt, itemque novæ, nomine potius et specie, quam re illis dispares, simul emisere caput, et ejusdem ictibus dejectæ interciderunt; quod jam non unus ostendit de scriptoribus nostris. Ratio quidem humana ad cognitionem rerum interiorem reconditamque libera vult acie penetrare, nec non velle potest : verum Aquinate auctore et magistro, hoc ipso facit expeditius et liberius, quia tutissime facit, omni procul periculo transiliendi fines veritatis. Neque enim libertatem recte dixeris, quæ ad arbitrium libidinemque opiniones consectatur et spargit, immo vero licentiam nequissimam, mendacem et fallacem scientiam, dedecus animi et servitutem. Ille reapse sapientissimus Doctor intra veritatis fines graditur qui non modo cum Deo, omnis veritatis principio et summa, nunquam decertat, sed ipsi adhæret semper arctissime semperque obsequitur, arcana sua quoquo modo patefacienti; qui neque sancte minus Pontifici romano est dicto audiens, et auctoritatem in eo reveretur divinam, et *subesse romano Pontifici* tenet omnino *de necessitate salutis* (1). — Ejus igitur in schola adolescat et exerceatur clerus

(1) Opusc. *Contra errores Græcorum.*

ad philosophiam, ad theologiam : existet enimvero doctus et ad sacra prælia valens quam qui maxime.

Lux tamen doctrinæ a clero in christiani populi ordines diffundenda vix dici potest quam magnam habeat utilitatem, si quasi e candelabro virtutis effulserit. — In præceptis enim, quæ sunt ad corrigendos hominum mores, plus fere possunt, quam dicta, facta magistrorum; nec quisquam negotio tam facili habiturus est ei fidem, cujus a dictis præceptisque discrepent facta. In Jesum Christum Dominum oculos intendamus et mentes : qui, ut *veritas* est, perdocuit nos quæ credere deberemus, ut *vita* est et *via*, semetipsum proposuit nobis exemplar absolutissimum, quo modo ageremus honeste vitam et bonum ultimum studiose appeteremus. Ipsemet discipulos suos ita de se voluit institutos et perfectos : *sic luceat lux vestra*, hoc est doctrina, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, non secus atque doctrinæ argumenta, *et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (1), doctrinam in unum et bonitatem Evangelii complexus, quod ipsis ad propagandum committebat. — Sunt hæc nempe instituta divina, quibus vita sacerdotum componatur et dirigatur oportet. Omnino oportet et necesse est habere eos sibi persuasum ac prope insculptum in animis, se jam non de sæculi esse consortione, at vero Dei consilio electos esse, qui, in communione sæculi ætatem agentes, vitam tamen Christi Domini vivant. Qui, si de ipso in ipsoque vere vivant, minime *quæ sua sunt* quæritabunt, sed in iis profecto toti erunt *quæ sunt Jesu Christi* (2), neque hominum captabunt inanem gratiam, sed gratiam Dei solidam expectabunt : ab his autem infimis rebus et corruptelis abstinebunt, abhorrebunt, et lucra bonorum cœlestium industrie facientes, de iis effundent large hilareque, ut sanctæ est caritatis : nusquam porro committent, ut judicio et arbitrio Episcoporum aut opponant aut anteferant suum, sed ipsis parendo et obediendo personam gerentibus Christi, felicissime elaborabunt in vinea Domini, copia fructuum lectissimorum ad vitam sempiternam mansura.

(1) Matth. v, 16. (2) Philipp. II, 21.

Quisquis vero se a pastore suo atque a pastorum maximo, romano Pontifice, sententia et voluntate abjungit, nullo pacto conjungitur Christo : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (1) : quisquis autem est a Christo alienus, dissipat verius quam colligit. — Ex quo præterea species modusque obtemperationis hominibus debitæ, qui antecedunt publica potestate, in promptu est. Nam longissime abest, ut sua ipsis jura velit quispiam abnuere et derogare; ea potius et ab aliis civibus observanda diligenter sunt et a sacerdotibus diligentius: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* (2). Nobilissima enim atque honestissima sunt munia, quæ viris principibus Deus, dominator rectorque summus, imposuit, ut consilio, ratione, omnique custodia justitiæ civitatem moderentur, conservent, augeant. Proinde clerus singula civium officia accuret et exequatur, non in morem servientis, sed reverentis; propter religionem, non propter metum; simul cum justo obsequio, dignitatem suam tuentes, iidem cives et sacerdotes Dei. Quod si quando fiat, ut civile imperium in jura Dei et Ecclesiæ invadat, tum esto a sacerdotibus insigne exemplum, quemadmodum homo christianus, formidolosis religioni temporibus, in officio perstare debeat : multa is, incolumi virtute, tacitus ferat; in tolerando male facta sit cautus, neque improbis ulla in re assentiat neve assentetur : re autem urgente in alterutrum, Dei ne recusanda jussa ad gratificandum hominibus, memorabile illud dignissimumque Apostolorum responsum libera voce usurpet : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus* (3).

Ad hoc veluti adumbratum specimen de ratione sacræ juventutis colendæ, adjicere libet et æquum est, quæ ad juventutem in universum pertinent; ejus enim institutio valde Nos sollicitos habet, ut, sive ad cultum mentis, sive ad perfectionem animi, recte admodum integreque succedat. — Novellam ætatem materno Ecclesia semper fovit complexu; ejus præsidio labores plu-

(1) Luc. x, 16. (2) Matth. xxii, 21.
(3) Act. v, 29.

rimos amantissime impendit et plurima adjumenta paravit; in his, familias nonnullas hominum religiosorum constitutas, quæ adolescentiam erudirent in artibus et doctrinis, ac præcipue ad sapientiam alerent virtutemque christianam. Sic auspicato fiebat ut in animos teneros pietas erga Deum facile influeret, ex qua officia hominis in se aliosque et patriam maturrime explicata, maturrime etiam in optimam spem florerent. Ecclesiæ igitur justa nunc est ingemendi caussa, quum videat in primis ætatulis filios suos a se divelli, atque in eos compelli litterarios ludos, ubi vel siletur omnino notitia Dei, vel mancum aliquid delibatur de ea perverseque miscetur; ubi colluvioni errorum nulla repagula, nulla fides documentis divinis, nullus veritati locus ut se ipsa defendat. Atqui de litterarum doctrinarumque domiciliis auctoritatem Ecclesiæ catholicæ prohibere, maxime injurium est, eo quod munus religionis docendæ, ejus videlicet rei qua nemo homo non indiget ad salutis æternæ adeptionem, Ecclesiæ a Deo sit datum : nulli vero alii datum est hominum societati, neque societas ulla sibi potest adsciscere ; ideoque ipsa suum propriumque jus merito affirmat, labefactum conqueritur. — Cavendum insuper est vehementerque curandum, ut in scholis quæ ditionem Ecclesiæ vel omnino vel partim excusserint, ne quod juventus periculum subeat neve ullum in fide catholica morumque honestate detrimentum capiat. In quo quidem et cleri et virorum proborum sollertia multum valebit, tum si laborent ut religionis doctrina non solum e scholis illis non exturbetur, sed, quo par est, loco maneat, maneatque apud magistros idoneos et spectatæ virtutis, tum si alia quædam præsidia inveniant et comparent, quibus ea ipsa doctrina incorrupte et commode juventuti impertiatur. — Valebunt autem permultum consilia et opera patrum familias sociata. Quare opus est admonitione ad eos et hortatione quanta fieri possit gravissima : velint animadvertere, quam magna sanctaque officia sibi cum Deo intercedant de liberis suis ; ut scientes religionis, bene moratos, Deum pie colentes educare debeant : ut faciant damnose, si ætatem credulam et incautam suspectis præceptoribus in discrimen committant. Hisce in officiis, simul

cum procreatione liberorum susceptis, noverint patres familias, totidem jura inesse secundum naturam et æquitatem, atque esse ejusmodi, de quibus nihil liceat sibi remittere, nihil cuivis hominum potestati liceat detrahere, quum, officiis solvi quibus homo teneatur ad Deum, sit per hominem nefas. Hoc igitur parentes reputent, se magnum quidem onus gerere de liberorum tuitione, multo tamen gerere majus, ut eos ad meliorem potioremque vitam, quæ animorum est, educant; quod ubi per se ipsi præstare nequeant, suum prorsus esse vicaria opera aliorum præstare, ita ut necessariam religionis doctrinam ex magistris probatis audiant liberi et percipiant. Jam illud non infrequens est exemplum sane pulcherrimum religionis munificentiæque, ut, quibus locis scholæ nullæ publice paterent nisi quæ *neutræ* vocantur, catholici viri magnis laboribus et sumptibus aperuerint certas suas, et pari constantia sustentent. Præclara hæc et tutissima juventutis perfugia, ubi opus est, pro rerum et locorum rationibus, alia atque alia constitui maxime optandum.

Neque silentio prætereundum est, christianam juventutis institutionem in maximam ipsius reipublicæ verti utilitatem. — Sane liquet innumerabilia et ingentia damna ei civitati metuenda esse, in qua docendi ratio et disciplina sit expers religionis, aut, quod est deterius, ab ea dissideat. Statim enim ac posthabitum et contemptum sit supremum illud divinumque magisterium, cujus admonitione jubemur vereri Dei auctoritatem, ejusdemque firmamento omnia Dei oracula tenere certissima fide, jam proclivis est humanæ scientiæ ad perniciosissimos errores, in primis *naturalismi* et *rationalismi*, ruina. Hinc fiet, ut judicium arbitriumque de rebus intelligendis, ac proclivius de agendis, homini cuilibet permittatur, et continuo publica imperantium auctoritas debilitata jaceat et afflicta : quibus namque inserta sit pessima opinio, se nullo pacto obligari dominatione et rectione Dei, permirum sane si hominis ullum imperium observent et patiantur. Fundamentis vero in quibus omnis auctoritas nititur, excisis, societas conjunctionis humanæ resolvitur et dissipatur, nulla erit

res publica, dominatus armorum plenus et scelerum occupabit omnia. Num vero tam funestam calamitatem possit civitas, suis ipsa opibus freta, deprecari? num possit, Ecclesiæ subsidia respuens? num possit, cum Ecclesia confligens? — Res prudenti cuique aperta manifestaque est. — Ipsa igitur civilis prudentia suadet, in juventute erudienda suam partem Episcopis et clero esse relinquendam; diligenterque providendum, ne ad nobilissimum docendi munus homines vocentur vel de religione languidi et jejuni, vel palam aversi ab Ecclesia. Quod quidem intolerabilius esset, si hujusmodi ingenii homines deligerentur ad doctrinas sacras, omnium præstantissimas, profitendas.

Præterea interest quam maxime, Venerabiles Fratres, ut pericula avertatis et propulsetis, quæ gregibus vestris a contagione *massonum* impendent. — Hujus tenebricosæ sectæ consilia et artes quam sint nequitiæ plena et quam exitiosa civitati, docuimus alias, singularibus litteris Nostris encyclicis, nec non adjumenta indicavimus quibus vires ejus oporteat reprimi et enervari. Nec profecto erit satis umquam præmonitum, caveant christiani a tali scelerum factione : hæc enim, quamquam odium grave in Ecclesiam catholicam principio concepit asperiusque deinde obfirmavit et quotidie inflammat, non tamen perpetuo inimicitias apertas exercet, at sæpius agit versute et dolose, maximeque adolescentiam, quæ rerum ignara est et inops consilii, miserabiliter irretit, simulata quoque specie pietatis et caritatis.

Quod est autem cautionis ab iis qui fide a catholicis discrepant, probe tenetis Ecclesiæ præscripta, ne qua inde damna in christianum populum vel pravitate opinionum dimanent. Videmus equidem et vehementer dolemus, facultatem Nobis ac vobis haud parem esse atque voluntatem et studium hæc ipsa pericula penitus avertendi : attamen alienum non putamus, sollicitudinem vestram pastoralem incitare, et alacritatem simul acuere hominum catholicorum, si communibus studiis removeri possint aut sublevari quæcumque obsistunt communibus votis. *Assumite,* cohortatione utimur sancti decessoris Nostri Leonis Magni, *religiosæ*

sollicitudinis pium zelum, et contra sævissimos animarum hostes omnium fidelium cura consurgat (1).

Itaque, excussa, si qua insederit, segnitia et desidia, caussam religionis et Ecclesiæ tanquam suam bonus quisque suscipiat; pro eaque fideliter et perseveranter propugnet. Usuvenit enim, ut nequam homines ex inertia ac timiditate bonorum, improbitatem suam et licentiam nocendi confirment, atque etiam proferant. Sit sane, catholicorum conatus et studia minus interdum ad ea posse quæ in sententia et spe habeantur : at satis in utramque partem profectura sunt, scilicet ad adversarios coercendos, et ad animos infirmos abjectosque roborandos, præter eam magnam utilitatem quæ posita est in secura officii conscientia. Quamquam, neque istud quidem facile dederimus, sollertiam et operam catholicorum, recto et perseverante consilio adhibitam, effectu suo carere. Nam semper factum est fietque semper ut res summis difficultatibus implicatæ et undique obseptæ, præclare tandem eveniant, modo animose, uti monuimus, fortiterque agantur, comite et ministra christiana prudentia. Quippe veritas, cui homo a natura cupidissime studet, mentes aliquando pervincat necesse est : ea quidem perturbationibus morbisque animi tentari atque obrui potest, exstingui non potest. — Quod opportunius convenire in Bavariam non una de caussa videtur. Huic enim, quoniam Dei beneficio in regnis catholicis numeratur, non tam opus est fidem sanctam accipere, quam acceptam a patribus custodire et fovere; præterea, qui nomine publico auctores sunt legum ad rempublicam temperandam, ii magnam partem catholici; catholici item quum sint plerique cives et incolæ, minime dubitamus quin matri suæ, Ecclesiæ laboranti, omni velint ope favere et succurrere. Ergo, si tam impense acriterque, ut debent, contendant omnino omnes, sane quam felices curarum exitus, auspice Deo, lætari licebit. Equidem contendant omnes præcipimus, eo quia sicut nihil est perniciosius discordia, ita nihil est præstabilius et magis efficax consensione concordiaque ani-

(1) Serm. xv, c. 6.

morum, collectis viribus ad unum idemque nitentium. Ad hæc. bene catholicis per leges suppetit medium quo conditionem habitumque rei publicæ meliorem fieri expostulent, atque eum optent velintque statum, qui et Ecclesiæ et sibi, si minus obsecundet et gratificetur, quod multo esset æquissimum, at non adversetur dure. Neque vero rectum erit cuiquam arguere et vituperare nostros, qui adjumenta hujus generis quærant : quibus enim adjumentis hostes catholici nominis ad licentiam uti consueverunt, id est, ut leges ab imperantibus eliciant et pæne extorqueant odiosas libertati rei civilis sacræque, nonne integrum sit catholicis eadem adhibere, ut honestissimis modis religioni consulant, et ea tueantur bona, dotes ac jura, quæ Ecclesiæ catholicæ divinitus collata sunt, quæque ab universis qui præsunt, qui subsunt, omni sunt honore afficienda?

In bonis autem Ecclesiæ, quæ Nos ubique semperque conservare debemus, ab omnique injuria defendere, illud certe præstantissimum est, tanta ipsam perfrui agendi libertate, quantam salus hominum curanda requirat. Hæc nimirum est libertas divina, ab unigenito Dei Filio auctore profecta, qui Ecclesiam sanguine fuso excitavit, qui perpetuam in hominibus statuit, qui voluit ipsi ipse præesse : atque adeo propria est Ecclesiæ, perfecti divinique operis, ut qui contra eam faciant libertatem, iidem contra Deum faciant et contra officium. — Quod enim alias, nec semel diximus, ideo constituit Deus Ecclesiam suam, ut bona animorum ultima, omnique natura rerum immensum majora, haberet curanda, persequenda, largienda : utque, opibus fidei et gratiæ, vitam a Christo in homines novam inferret, salutis sempiternæ efficientem. Quoniam vero cujusque societatis et genus et jura a caussis propositisque maxime notantur unde ipsa exstiterit et quo contendat, hæc facile sunt consequentia : Ecclesiam societatem esse tam a civili discretam, quam utriusque inter sese discernuntur proximæ caussæ et proposita ; eamdem esse societatem necessariam, quæ ad universitatem se porrigat generis humani, cum ad christianam vitam universi vocentur, atque ita, ut, qui recusent vel deserant, ablegentur perpetuo, vitæ exsortes

cœlestis; esse potissimum sui juris societatem, eamque præstantissimam, propter ipsam cœlestium et immortalium bonorum, ad quæ tota conspirat, excellentiam. Jam vero liberæ caussæ, non videt nemo, liberam trahunt facultatem rerum adhibendarum, quotquot usui sunt futuræ. — Sunt autem Ecclesiæ, tamquam instrumenta apta et necessaria, posse arbitratu suo christianam doctrinam tradere, sacramenta sanctissima procurare, cultu divino fungi, omnem cleri disciplinam ordinare et temperare : quibus muneribus beneficiisque instructam et apparatam voluit Deus Ecclesiam, solam eam providentissime voluit. Ipsi uni tamquam in deposito esse jussit res omnes afflatu suo hominibus enuntiatas; eam denique unam statuit interpretem, vindicem, magistram veritatis et sapientissimam et certissimam, cujus præcepta æque singuli, æque civitates debeant audire et sequi; similiter constat mandata ab ipso libera Ecclesiæ data esse de rebus judicandis et statuendis quæcumque melius ad consilia sua conducerent. — Qua de re, sine caussa civilia imperia suspicionem et offensionem capiunt de libertate Ecclesiæ, quum demum vel civilis vel sacræ potestatis idem sit principium, unice a Deo. Ideoque non possunt inter se aut discrepare, aut impediri, aut elidi, cum neque Deus constare sibi non possit, neque opera ejus queant inter se pugnare; quin etiam miro commendantur caussarum rerumque concentu. Liquet præterea Ecclesiam catholicam, dum latius liberiusque, Auctoris sui jussis obtemperans, sua signa infert in gentes, nequaquam in fines excurrere potestatis civilis, ejusque rationibus aliqua re obesse; sed tutari eas et munire; ad ejus vere similitudinem quod contingit in fide christiana, quæ tantum abest ut humanæ rationis luminibus obstruat, ut potius ipsi addat splendorem, vel quod ab erroribus opinionum avertat, ad quos prolabi humanum est, vel quod in spatium rerum intelligendarum amplius et excelsius admittat.

Ad Bavariam quod attinet, rationes quædam singulares huic Sedi Apostolicæ cum ipsa intercedunt, eæque pactis conventis ratæ et sacratæ. Eas quidem Apostolica Sedes, tametsi multa de jure suo paciscendo remiserit, integre tamen religioseque, ut

solet, semper servavit; nihilque unquam egit quod caussam querelarum ullam præberet. Quapropter enixe optandum, ut utrinque conventa et rite observentur, cum ad verba, tum magis ad mentem eam qua scripta sunt. — Fuit quidem aliquando, quum perturbatio aliqua concordiæ et querelarum caussa enata est; eas tamen Maximilianus I, decreto facto, lenivit, iterumque Maximilianus II æqui bonique fecit, opportunis quibusdam temperamentis sancitis. Hæc quidem ipsa recentioribus esse abrogata compertum est; Nobis ex religione prudentiaque Principis qui gubernacula tenet regni Bavarici, admodum est quod confidamus futurum, ut qui locum religionemque Maximilianorum præclara hæreditate excepit, velit ipse mature rei catholicæ incolumitati prospicere, ejusque incrementa, amotis impedimentis, provehere. Ipsi profecto catholici homines, quæ est pars civium maxima, eaque caritate patriæ et observantia in gubernatores sine ulla dubitatione probabilis, si sibi in re tanti momenti responderi et satisfieri viderint, profecto excellent obsequio et fide adversus Principem suum, similitudine quadam filiorum in patrem, et singula ejus consilia ad regni bonum ac decus summa voluntate subsequentur, summis viribus plene perficient.

Hæc quidem, Venerabiles Fratres, vobis communicare Apostolici officii ratio impulit. Superest, ut Dei opem certatim omnes imploremus, precatoresque ad Eum adhibeamus gloriosissimam Virginem Mariam, Cœlitesque regni Bavarici patronos, ut communibus votis benignus annuens, tranquilla Ecclesiam donet libertate, detque Bavariam majori in dies gloria et prosperitate frui.

Auspicem autem cœlestium munerum, præcipuæque Nostræ benevolentiæ testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiæ vestræ commisso, peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 22 Decembris an. 1887, Pontificatus Nostri Decimo.

LEO PP. XIII.

EX S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONE.

Monseigneur l'Évêque de Vicence a obtenu de la S. Inquisition une réponse importante sur la bénédiction des bannières et leur admission dans les églises. Sa Grandeur a daigné nous en faire parvenir une copie authentique, et y joindre un exemplaire de la Circulaire qu'Elle a adressée aux Curés de son diocèse. Nous donnerons ces deux pièces l'une après l'autre.

Voici la décision de la S. Inquisition.

Illmo et Rmo Signore,

Nella feria IV al di 31 Agosto p. p. gli Emi e Rmi Sigg^ri^ Cardinali Inq^ri^ Genli miei Colleghi, esaminati i varii quesiti circa la benedizione e ammissione in Chiesa delle bandiere delle società operaje, di mutuo soccorso, alpiniste, etc.: a cui si riferiscono le sue lettere del 4 Maggio e del 13 Agosto decorsi, hanno dato le seguenti risposte.

1° *Circa benedictionem vexillorum.* Non esse benedicenda vexilla, nisi earum societatum, quarum statuta ab auctoritate Ecclesiastica adprobata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum, præseferant.

2° *Quoad vexilla in Ecclesia introducenda.* Non esse admittenda nisi vexilla Confraternitatum et ea quæ benedicta fuerint ut supra.

Ed intanto le auguro dal Signore ogni bene.

Roma al di 3 Settembre 1887.

Affmo nel Signore.

R. CARD. MONACO.

All' Illmo e Rmo Signore
Mons. Vescovo di
Vicenza.

Monseigneur l'Évêque de Vicence a communiqué cette décision à son clergé par l'ordonnance suivante :

Ai MM. RR. Parrochi della Città e della Diocesi.

Affine di avere una norma sicura nel rispondere alle domande, che Ci vengono rivolte dai MM. RR. Parrochi, se si possano o meno *benedire le bandiere* delle diverse Società laiche o di mutuo soccorso. od operaie, etc., che vanno formandosi nella Città e nella Diocesi ; e se le medesime bandiere in occasione di funzioni religiose o di funerali possano essere introdotte in Chiesa, abbiamo umiliata relativa domanda alla S. Sede e dal S. Ufficio con Lettera del 3 corr. abbiamo avuto la seguente risposta.

(Ici sont reproduites les deux décisions ci-dessus).

I MM. RR. Parrochi pertanto non benedicano alcuna bandiera se non vi siano tutti i requisiti richiesti dalla S. Sede e nei casi dubbj ricorrano all' Ordinario. Ad evitare poi spiacenti dimostrazioni in occasione di funzioni o di funerali avvertano in antecedenza i Presidenti delle Società esistenti in Parrocchia che assolutamente non è permesso introdurre in Chiesa la bandiera se non sia benedetta.

La presente dovrà essere conservata in luogo patente per servire di norma.

Impartiamo ai MM. RR. Parrochi la nostra Benedizione.

Vicenza dalla Curia Vescovile
li 24 Settembre 1887.

† GIO. ANTONIO, Vescovo.

Gio. Maria Viviani, *Cancelliere Vescovile.*

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DECRETUM.

Ad removendas anxietates recenter obortas inter moniales Carmelitanas Discalceatas præsertim monasteriorum in Gallia existentium, ex eo quod in aliis observentur jam inde ab illorum fundatione Constitutiones S. Theresiæ datæ a Cardinali De Berulle Visitatore Apostolico, in aliis vero Constitutiones ejusdem S. Theresiæ emendatæ et approbatæ a summis Pontificibus Sixto V et Gregorio XIV, SSmus D. N. Leo PP. XIII in audientia habita ab infro Dno Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 26 Augusti 1887 universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, declaravit prout præsentis Decreti tenore declaratur : Nihil obstare quominus moniales Carmelitanæ Discalceatæ in Galliis degentes, pergant tuta conscientia uti illis Constitutionibus, quas in respectivorum monasteriorum fundatione receperunt illasque observare eo modo atque ratione sicuti usque in præsens eas observaverunt. Abstinendum tamen esse a qualibet immutatione in textum dictarum Constitutionum introducenda. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria memoratæ Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Augusti 1887.

J. CARD. MASOTTI, Præfectus.

Fr. Aloysius Episc. Callinicen, *Secretarius*.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

NEAPOLITANA.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Guillelmus Sanfelice, Archiepiscopus Neapolitanus, Sacræ Rituum Congregationi insequentia dubia declaranda proposuit; nimirum :

I. An S. R. E. Cardinali, Missam in Pontificalibus celebranti extra Urbem, et extra locum suæ jurisdictionis, liceat, præter tres sacros ministros altaris, habere diaconos sacris paramentis indutos, sibi in cathedra seu throno adsistentes?

II. An in ejusmodi casu Clerus quoque sacra paramenta, juxta ordinum gradus deferens, illi adsistere possit ac debeat?

III. An S. R. E. Cardinali celebranti, aut in Cathedra seu throno adsistenti, vel quovis alio in casu etiam extra Cathedram seu thronum adsistenti, habitu tamen Cardinalitio induto, debeatur ab omnibus genuflexio, sicuti Ordinario in propria diœcesi? Et quatenus negative :

IV. An Ordinario loci potestas sit hujusmodi honorem concedendi?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii hisce dubiis rite expensis, sic rescribendum censuit :

Ad I et II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative, si in Cathedra, seu throno, assideat; secus Negative.*

Ad IV. *Provisum in præcedenti.*

Atque ita declaravit et rescripsit die 4 Julii 1887.

D. CARD. BARTOLINIUS, S. R. C. PRÆFECTUS.

PRO R. P. LAURENTIO SALVATI, *Secretario.*
JOANNES PONZI, *Substitutus.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

I.

VICENSIS.

Quum nuper Episcopus Conchensis a Sacra Rituum Congregatione exquisivisset an imagines sacræ, confectæ ex materia vulgo nuncupata *Carton-Piedra,* in ecclesiis cultui exponi possent, benedici, sacrisque indulgentiis ditari; eadem Sacra Rituum Congregatio sub die 17 Januarii proxime elapsi ita rescripsit : *Quoad indulgentias, recurrendum ad S. Congregationem Indulgentiarum ; quoad expositionem, non obstare.* Nunc vero Episcopus Vicensis huic Sacræ Indulgentiarum Congregationi humiliter sequens dubium resolvendum proponit : Num indulgentiæ adnecti valeant sacris imaginibus ex alia materia confectis vulgo appellata *Carton-Madera,* quæ solidior est alia supramemorata, imo præsefert duritiem ligno majorem ?

Porro Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, re mature perpensa, prænunciato dubio respondit : *Affirmative.*

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 1 Aprilis 1887.

FR. THOMAS MARIA CARD. ZIGLIARA, *Præfectus.*

II.

Decretum de extensione Declarationis editæ sub die 19 Augusti 1714 (1) *pro Confraternitate SSmi Rosarii ad Confraternitates SSmæ Trinitatis, B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo, et a Septem Doloribus.*

Piæ quædam Sodalitates sicuti a Regularibus Ordinibus suam repetunt existentiam, ita earumdem erectio jure quodam proprio eisdem Ordinibus competit. Inter has sunt recensendæ Sodalitates SSmæ Trinitatis, B. Mariæ Virginis a Monte Carmelo, nec non a Septem Doloribus, quæ a respectivis Ordinibus Regularibus sunt institutæ ac proinde ab ipsis jure ordinario eriguntur. Verum experientia compertum est Sodalitates supradictas, insciis omnino supremis Moderatoribus eorum Ordinum ad quas memoratæ Sodalitates pertinent, auctoritate tantummodo Episcoporum sæpenumero erectas reperiri, eo quod plerumque cum illis vigore Litterarum Apostolicarum facultas tribuatur erigendi in genere sodalitates cujuscumque tituli et invocationis cum respectivis Indulgentiis, prælaudatas quoque Sodalitates ipsi erigunt sola vi generalis communicationis Indulgentiarum, quæ sunt propriæ Archisodalitatum in Urbe existentium, quin ulla fiat in Apostolicis Litteris expressa derogatio privilegiorum præfatis Ordinibus quoad erectionem suarum Sodalitatum concessorum.

Quum vero Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita, ad præpediendos abusus et confusiones removendas, declarasset per Decretum diei 19 Augusti 1747, approbatum et confirmatum sub die 26 ejusdem mensis a s. m. Benedicto Papa XIV, Sodalitates a SSmo Rosario, erectas inscio Magistro generali Ordinis Prædicatorum haud subsistere, ideoque carere omnino Indulgentiis ejusdem sodalitatis propriis, Priores generales Ordinum SSmæ Trinitatis, Carmelitarum et Servorum

(1) Les *Acta S. Sedis* et la copie du Décret qui nous a été envoyée de Rome, portent cette date : mais il est évident qu'il s'agit de 1747, et cette dernière date est, en effet, reproduite dans le corps du Décret.

Beatæ Virginis, quum animadverterint quoad erectionem suarum Sodalitatum ex Apostolicæ Sedis benignitate sibi commissam eosdem abusus similesque confusiones irrepsisse, quæ locum jam habebant in erectionibus sodalitiorum SSmi Rosarii, humiles porrexerunt preces SSmo Domino Nostro, quatenus superius memoratam declarationem non semel editam benigne pariter extendere dignaretur ad Sodalitates SSmæ Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis a Monte Carmelo et a Septem Doloribus; ita nempe, ut si contingat non obtenta prius ab eorumdem Ordinum supremis Moderatoribus (1), prædictas Sodalitates constitui, sub quovis prætextu cujuscumque facultatis specialis, in quo nulla fiat expressa derogatio privilegii hac super re dictis Ordinibus concessi, Sodalitatum erectio nullius sit roboris adeoque Indulgentiis minime perfruantur.

Quas preces SSmo Domino Nostro Leoni Papæ XIII ab infrascripto Secretario in audientia habita sub die 16 Julii hujus devolventis anni relatas, idem SSmus peramanter excepit, ac, prævia sanatione omnium supradictarum Sodalitatum insciis Prioribus Generalibus memoratorum Ordinum huc usque erectarum, quas validas esse declaravit, in posterum voluit ac mandavit, ut ad omne dubium removendum nec non abusus præcavendos, non aliter prædictæ Confraternitates seu Sodalitates erigantur, nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus litteris facultativis pro earumdem erectione, ita tamen ut iidem Priores generales pro hujusmodi Confraternitatum seu Sodalitatum erectionibus consuetas litteras sacerdotibus suorum Ordinum, vel ubi eorum conventus non existunt, aliis ecclesiasticis viris sive regularibus, sivæ sæcularibus, etiam Episcopis, bene visis expediant, ipsæque litteræ non nisi de consensu Ordinariorum, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Ap[illegible] nibus servandis ac servari solitis, exequutio[illegible] Contrariis quibuscumque non obstantibus.

(1) Il manque ici un mot que nous ne trouvons ni dans les *Acta S. Sedis*, ni dans notre copie du Décret, probablement *facultate*, ou un terme équivalent.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 16 Julii 1887.

FR. THOMAS M. CARD. ZIGLIARA, Præfectus.

Alexander Episcopus Oensis, *Secretarius.*

III.

Beatissime Pater,

Antonius Maria Anderledy, Præpositus Generalis Societatis Jesu, ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus, demisse exponit, olim Congregationes Beatæ Mariæ Virginis et Bonæ Mortis, ut in ecclesiis ortum habuerunt, ita, etsi ab aliis erigerentur, indulgentias a Sede Apostolica illis concessas consequi non potuisse, nisi a Præposito generali Societatis Jesu, cui ad id ampla facultas a pluribus Romanis Pontificibus concessa et sæpius confirmata est, Primariis Congregationibus ejusdem tituli in Collegio Romano sive in ecclesia SSmi Nominis Jesu canonice erectis rite aggregarentur. Ex qua quidem benigna S. Sedis dispositione inter alias hæc imprimis utilitas promanabat, quod omnes illæ Congregationes, etsi per totum orbem erant diffusæ, iisdem tamen regerentur legibus et usibus, et communi quodam vinculo colligatæ, sancta inter se æmulatione ad bona quæque opera stimulos sibi injicerent, atque plurimos ad Dei gloriam et animarum salutem proferrent ubique fructus insignes.

Verum ab aliquo tempore dictæ Congregationes B. Mariæ Virginis et Bonæ Mortis ab aliis quoque non tantum (ut jampridem in usu fuerat) eriguntur, verum etiam indulgentiis ab hac S. Sede ipsis concessis ditantur, ita ut nullatenus ad primarias illas Congregationes Romanas aggregentur, sed singulæ earum, per orbem sparsæ, nullo vinculo inter se nec ullo communi centro conjunctæ remaneant.

Quare prædictus Orator enixe et humiliter rogat ut Sanctitas Tua, si ita expedire ad majorem earum Congregationum pro-

providerent. Quare et vivæ vocis oraculo, et Apostolicis etiam litteris Patriarchis, Antistitibus et aliis totius terrarum orbis locorum Ordinariis instanter atque iteratis vicibus mandarunt, ut respectivæ eorum curæ commissos Christifideles ad eleemosynas pro Locis Sanctis tuendis afferendas colligendasque impellerent, et certas etiam regulas hac super re statuere pluribus Apostolicis litteris, modo sub plumbo, modo sub Annulo Piscatoris datis, per quas unanimi consensu asseruerunt universis in terrarum Orbis Diœcesibus singulis annis quosdam per unumquemque Ordinarium sub sanctæ obedientiæ obligatione dies statuendos esse pro eleemosynis in Sanctorum Locorum emolumentum colligendis. Denique Pius PP. VI fel. rec. Prædecessor Noster litteris, quarum initium « *Inter cætera divinorum judiciorum abdita arcana* » die 31 mensis julii anno 1778 sub plumbo datis, quatuor per annum vicibus ab omnibus Sacrorum Antistitibus Terræ Sanctæ necessitates piæ Christifidelium charitati commendandas esse decrevit. Nunc autem dilectus filius Bernardinus de Portu Romatino, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Assisiensis de Observantia nuncupatorum generalis Administer, Nobis exponendum curavit, adauctis in dies præsertim vertentibus annis necessitatibus hujusmodi, Sanctorum Locorum custodiæ haud amplius provenientes e fidelium eleemosynis redditus sufficere, eaque potissimum de causa quod elapso jam sæculi intervallo a postrema, quam memoravimus fel. rec. Pii PP. VI Constitutione, nonnulli ex Ordinariis illam veluti fere obsoletam negligunt, neque eleemosynas pro Sanctis Locis commendare, ea qua par est sollicitudine, student; ideoque enixas Nobis preces humiliter adhibuit, ut quædam hac super re providere de Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine velimus. Nos igitur, quibus tanti momenti custodia maximo est cordi, votis hujusmodi annuere cupientes, de Apostolica Nostra auctoritate, vi præsentium, perpetuum in modum decernimus, ut Venerabiles Fratres Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis locorum Ordinarii sub sanctæ obedientiæ vinculo curare teneantur, ut respective

in cujuscumque Diœcesis Parochiali Ecclesia, una saltem singulis annis vice, nempe Feria Sexta Majoris hebdomadæ, vel alio ad uniuscujusque Ordinarii lubitum similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium charitati Sanctorum Locorum necessitates proponantur. Pari autem auctoritate expresse interdicimus atque prohibemus ne quis audeat vel præsumat eleemosynas pro Terra Sancta quomodolibet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea jubemus collectas, ut superius dictum est, eleemosynas Parochum Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario; hunc autem curare volumus, ut eædem quam citius Hyerusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur.

Decernentes præsentes Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere etf ore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, ac spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos judicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Denique volumus, ut præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 26 Decembris 1887, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

BREF AUTORISANT LES ÉVÊQUES

A PRENDRE

LA BARRETTE VIOLETTE.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Præclaro divinæ gratiæ munere effectum est ut Sacerdotalis nostræ consecrationis diem quinquagesimo anno redeuntem frequenti Episcoporum venerabilium fratrum nostrorum corona septi, innumero fidelium cœtu stipati, quin et universo christiano orbe gestiente celebrare potuerimus. Cui tantæ celebritati fastigium impositum est majoribus cœlitum honoribus quos divino Spiritu adspirante suprema auctoritate Nostra nonnullis eximiæ sanctitatis viris solemni ritu attribuimus. Quæ quidem omnia non uno Nobis nomine grata et perjucunda fuerunt. Primo enim in spem adducimur fore ut fidelium precibus ac novensilium Sanctorum intercessione propitiatus Deus, tot tantisque, quibus humana premitur societas, malis opportuna afferat remedia, optatamque mundo pacem ac tranquillitatem largiatur. Deinde vero ex eo lætemur quod innumerabiles observantiæ et obsequii significationes, quibus Nos toto orbe fideles unanimi consensione prosecuti sunt, tum ostendunt et antiquam pietatem et Apostolicæ Sedis amorem christianis pectoribus alte manere defixum, tum in summam Venerabilium Fratrum sacrorum Antistitum laudem cedunt, quorum opera ac virtute in populis sibi commendatis et concreditis in tanta temporum perversitate ita viget ac floret catholicæ religionis cultus, et huic Sedi ac

Romano Pontifici sunt animi addicti atque conjuncti. Nos ne fausti hujus eventus memoria intercidat, atque ut publicum aliquod benevolentiæ Nostræ testimonium Venerabilibus Fratribus exhibeamus, externo honoris insigni universos terrarum orbis Antistites exornandos censuimus. Quare hisce litteris Apostolica auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus, ut universi Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi birreto violacei coloris hoc futurisque temporibus uti libere et licite possint et valeant. Hoc ita illis proprium volumus, ut alius qui Episcopali dignitate non sit insignitus ejusmodi ornamento ullatenus potiri queat. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, cæterisque omnibus licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 3 Februarii 1888, Pontificatus Nostri anno decimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

EX S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONE.

DÉCISIONS ET FACULTÉS

CONCERNANT

LES DISPENSES MATRIMONIALES.

La S. Inquisition vient d'envoyer aux Ordinaires le document suivant :

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

De mandato Sanctissimi D. N. Leonis XIII Supremæ Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quæstionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiæ rite copulari, et propriæ conscientiæ consulere valeant : alterum spectat ad executionem dispensationum, quæ ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis

publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.

Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suæ, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares pœnitentias, atque eam vitæ rationem, quæ præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quæstionum genere, item adprobato et confirmato eorumdem Eminentissimorum Patrum suffragio, Sanctissimus sanxit :

1. Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci.*

2. Appellatione Ordinarii, venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem.

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quæ remissæ fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi cœperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officialem exequi dispensationes quæ Vicario Capitulari exequendæ remissæ fuerant, seu hic illas exequi cœperit seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario prædicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum præsertim in cujus diœcesi sponsi actu degunt.

Hæc quæ ad pastorale ministerium utilius faciliusque reddendum Sanctissimus Dominus Noster concedenda et statuenda judicaverit, dum libens tecum communico, bona cuncta Amplitudini Tuæ precor a Domino.

Datum Romæ, die 20 Februarii 1888.

RAPH. CARD. MONACO.

Deux questions sont posées dans cette lettre; nous dirons un mot de chacune.

I.

POUVOIRS CONFÉRÉS *IN MORTIS ARTICULO.*

Rappelons d'abord le droit. *Jure proprio*, l'Ordinaire ne peut dispenser des empêchements dirimants, et nous disions avec raison dans les *Dispenses matrimoniales* : « Même en cas d'urgente nécessité, quand le recours au Saint-Siège est impossible, et que le mariage ne saurait être différé sans péril d'infamie ou de scandale, l'Ordinaire ne peut, quoi qu'en disent certains auteurs, présumer l'intention du Souverain Pontife, et dispenser d'un empêchement dirimant *public*(1). » Nous prouvions notre proposition par plu-

(1) *Disp. matr.*, n. 92 et 93.

sieurs décisions des Congrégations romaines, entre autres, par une décision de la Pénitencerie en 1872, qui vise précisément l'article de la mort et le cas du contrat civil, et porte : « Quoad impedimenta *publica*, Episcopum nullatenus dispensare posse. » En pareil cas, l'Ordinaire n'avait jusqu'ici d'autre ressource que les indults à lui accordés pour les cas urgents, « in quibus absque gravis mali periculo recursus ad S. Sedem haberi non possit » ; ces indults sont loin de comprendre tous les empêchements dirimants, et varient du reste beaucoup, selon les besoins des diocèses et les demandes des Ordinaires respectifs (1).

Quant aux empêchements *occultes*, l'Ordinaire avait d'abord ses indults, dont nous jugeons inutile de rappeler ici la série ni l'étendue; il avait ensuite ce pouvoir quasi-ordinaire de dispenser en cas d'urgence, *ex præsumpta Summi Pontificis voluntate*, que Benoît XIV et les décisions des Congrégations lui reconnaissent formellement lorsque le mariage a été contracté de bonne foi, et consommé (2), et que nos théologiens modernes étendent avec assez de probabilité à la mauvaise foi (3), et même aux mariages non contractés (4).

La concession actuelle est beaucoup plus large; toutefois, elle n'est pas sans limites. Il importe d'en bien préciser l'extension comme les restrictions.

D'abord elle n'est applicable que lorsque l'une des parties est en danger très grave de mort; c'est ainsi qu'elle s'exprime : *ægrotos in* GRAVISSIMO *mortis periculo constitutos*, et encore cette phrase est-elle restreinte par l'incidente : *quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem*.

(1) *Ibid.*, n. 119 à 132.
(2) *Ibid.*, n. 559.
(3) N. 560.
(4) N. 445.

Elle concerne ceux qui vivent dans les liens du contrat civil ou dans le concubinage : *Cum iis qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt.* On peut conclure, *a fortiori*, que les pouvoirs sont accordés pour revalider un mariage contracté *nulliter in facie Ecclesiæ*. En ce qui concerne les premiers, c'est une extension, mais pour l'article de la mort seulement, du pouvoir accordé aux Évêques français par le numéro 1er de l'Indult du 15 novembre; mais le pouvoir est plus ample que celui de cet indult, 1° Parce qu'il s'applique même aux mariages contractés depuis le 15 novembre; — 2° Parce qu'il comprend un plus grand nombre d'empêchements; — 3° Parce qu'il permet de dispenser même de plusieurs empêchements réunis. Ces deux derniers points ont besoin d'explications; nous les donnerons plus bas.

Le pouvoir est donné *locorum Ordinariis*, et il est formellement dit qu'ils l'exerceront *sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam*. Donc, les Vicaires généraux, le Vicaire capitulaire, *qui et ipsi veniunt sub nomine Ordinarii*, peuvent dispenser comme l'Évêque et subdéléguer comme lui. Ajoutons que la subdélégation ne paraît pas restreinte aux cas particuliers, et peut être donnée *ad tempus*.

Enfin, le pouvoir s'étend *super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente*. Nous ne croyons pas que jamais le Saint-Siège ait donné un pouvoir aussi ample. En effet, ces termes mêmes, et la fin de la concession : *ut morituri.... rite copulari et proprie conscientiæ consulere valeant*, font voir qu'il ne faut pas chercher d'autres exceptions que celles qui sont formulées. Donc :

a) Les Ordinaires peuvent dispenser des cas occultes comme des cas publics; l'expression : *super impedimentis quantumvis publicis*, peut se traduire par : *des empêchements* MÊME *publics;* le mot *quantumvis* n'est pas restrictif.

b) Ils peuvent dispenser de tous les degrés de parenté ou d'affinité qui ne constituent pas des empêchements de droit naturel, que ces degrés soient d'ailleurs simples ou multiples. Il n'y a d'exception que pour le 1er degré de consanguinité licite ou illicite, qui est de droit naturel, et pour tous les degrés de l'affinité *licite* en ligne directe.

c) Ils peuvent dispenser de plusieurs empêchements d'espèce différente qui se rencontrent ensemble, comme parenté *et* affinité, etc.

d) Ils peuvent même dispenser de certains empêchements dont la dispense est très rare, par exemple, du conjugicide public; et, ce qui surprendra davantage, ils peuvent autoriser *in extremis* le mariage *in facie Ecclesiæ* d'un sous-diacre, d'un diacre, d'un religieux non prêtre ou d'une religieuse liés par des vœux solennels. Au cas où ce sous-diacre, ce diacre, ce religieux ou cette religieuse reviendraient à la santé, un alinéa entier explique la conduite que devrait tenir l'Ordinaire.

Un dernier mot. La lettre du Saint-Office ne parle pas du pouvoir de légitimer *prolem jam susceptam;* mais nos lecteurs savent la règle : ce pouvoir doit être exprimé dans les rescrits particuliers de dispense, il n'est pas nécessaire qu'il le soit dans un indult général accordé à l'Évêque. L'omission n'a donc rien qui puisse étonner, et l'Ordinaire jouit quand même de la faculté requise. Nous sommes seulement surpris qu'une exception n'ait pas été faite explicitement pour les enfants déjà nés d'un religieux ou d'une religieuse ayant fait des vœux solennels; nos lecteurs se

rappellent qu'au temps de la révolution française, des dispenses nombreuses furent données *super voto solemni*, mais qu'on n'accordait pas la légitimation des enfants (1).

II.

DÉCISIONS CONCERNANT L'EXÉCUTEUR DES DISPENSES.

Cette partie de la lettre de la S. Inquisition est aussi très importante; elle fait disparaître définitivement certaines causes de nullité des dispenses, et donne des facilités plus grandes pour leur exécution.

Nos lecteurs savent que les brefs de la Daterie portaient parfois l'adresse suivante : *Venerabili Fratri Episcopo N...*: et plus ordinairement celle-ci : *Dilecto Filio Officiali Venerabilis Fratris Episcopi N...*; que, depuis 1885, l'adresse était alternative et portait : *Venerabili Fratri Episcopo N... sive Ejus Officiali*. La S. Pénitencerie, elle, commettait la dispense : *Proprio oratorum*, ou *oratricis Ordinario* ou *Ordinario N...* Nous avons eu l'occasion d'expliquer ces différents termes, et les conséquences qui résultaient de leur emploi. Voici une réforme bien plus radicale et très heureuse : *à l'avenir, toutes les dispenses*, par conséquent, celles de la Daterie, de la Pénitencerie, de la Propagande, du Saint-Office, *seront commises* pour l'exécution *Oratorum Ordinario* ou bien *Ordinario loci*.

Conséquences : 1° Tous ceux qui méritent le nom d'*Ordinaire*, pourront les exécuter; l'Évêque ou le Vicaire général, le Vicaire Capitulaire, etc. — 2° Le changement de juge ne sera jamais nécessaire quand un Vicaire capitulaire succèdera à l'Évêque, ou *vice versa*, quand un Vicaire général

(1) *Nouv. Revue Théol.*, XVII, pag. 470 et 471.

démissionnaire, défunt, révoqué, sera remplacé par un autre : En effet, ce vicaire capitulaire, ce nouveau vicaire général, se trouve être, à son tour, l'*Ordinaire*, et le pouvoir d'exécuter la dispense lui est conféré. Seulement, il faut se rappeler la règle qui résulte d'une décision précédente : le nouvel exécuteur de la dispense doit reprendre l'affaire *ab initio*, et recommencer les actes déjà posés par son prédécesseur, par exemple, l'enquête, etc. (1).

Ce premier point bien compris, la S. Inquisition explique que, sous les mots *Oratorum Ordinario*, il faut toujours entendre l'Ordinaire qui a adressé la supplique au Saint-Siège, ou qui en a attesté la vérité. Plus de distinction entre l'Ordinaire d'origine ou du domicile; pas d'inquiétudes à avoir si le rescrit porte *oratorum* au pluriel, et qu'un seul des suppliants soit du diocèse; pas de craintes non plus, si l'Ordinaire qui a dressé la supplique se trouve être l'Ordinaire du suppliant, et non point celui de la suppliante; pas de craintes encore, pas de changement de juge, pas de *perinde valere* à demander, si les suppliants, ou celui-là seul qui était du diocèse, a changé de domicile et cessé par conséquent d'être le sujet de l'Ordinaire qui a demandé la dispense. Tous ceux qui sont versés dans la pratique des dispenses savent quelles difficultés se présentaient en ces différents cas; ces difficultés n'existent plus : l'Ordinaire qui a fait la demande, pourvu qu'il ait eu qualité pour la faire, est délégué pour l'exécution de la dispense, et reste délégué, malgré le changement de diocèse des suppliants.

Enfin, la S. Inquisition donne une dernière facilité : l'Ordinaire à qui est commise l'exécution de la dispense peut déléguer *un autre Ordinaire* pour l'exécuter en sa place. Il peut surtout, *præsertim*, déléguer l'Ordinaire du diocèse qu'ha-

(1) *Nouvelle Revue Théologique*, XIX, pag. 48 et 53.

bitent actuellement les suppliants; mais ce mot *præsertim*, n'est pas restrictif, et la même faculté lui est laissée pour les autres circonstances dans lesquelles il le jugerait utile. En outre, il est dit : *fas est;* cette délégation est *permise*, elle ne s'impose pas.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

I.

Septembre, mois de Notre-Dame des Sept Douleurs ; Indulgences.

Il Priore Generale dei Servi di Maria, Pier Francesco Maria Testa umilmente prostrato al bacio del S. Piede espone alla S. V. come per benigna concessione della s. m. di Pio Papa IX Vostro Predecessore fu accordata l' indulgenza di 300 giorni da lucrarsi in ciascun giorno del mese di settembre, a tutti Fedeli i quali con cuore almeno contrito e devotamente praticheranno il devoto esercizio del mese di settembre in onore di Maria SSma addolorata valendosi di qualsiasi libro purchè approvato che tratti dei dolori di Maria SSma, e a ritrarre da questa si bella ed utile divozione quei spirituali vantaggii di cui essa é feconda per le anime pie, supplica la S. V. affinchè voglia degnarsi di concedere anche l' indulgenza plenaria a coloro che praticheranno nel modo suddetto l' intiero mese di settembre da lucrarsi una volta soltanto entro il menzionato mese, nel giorno in cui veramente pentiti, confessati e comunicati pregheranno secondo l' intenzione della S. V.

Ex. Aud. SSmi diei 27 Jan. 1888.

SSmus D. N. Leo PP. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui modo supra enunciato quolibet die mense integro septembri Dolores B. M. Virginis sive publice sive privatim devote recoluerint, petitam Plenariam Indulgentiam defunctis quoque applicabilem benigne concessit lucrandam eo die, infra prædictum mensem, uniuscujusque arbitrio eligendo, quo vere pœnitentes, confessi sacram synaxim susceperint et aliquo tem-

poris spatio ad mentem S. S. pie oraverint. Presenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ die 27 Januarii 1888.

CAJETANUS CARD. ALOISI MAZELLA, Præf.

Alexander Episcopus Oensis, *Secret.*

II.

Novembre, mois des Ames du Purgatoire; Indulgences.

DECRETUM.

URBIS ET ORBIS.

Inter cætera christianæ pietatis officia illud etiam in permultis variarum diœcesium Ecclesiis obtinuit mense integro novembri juvandi quotidianis suffragiis animas piacularibus pœnis excruciatas, immo et privatim a Christifidelibus hujusmodi pium exercitium frequentari cœptum est. Quamvis autem singulis petentibus indulgentiarum munera pro hoc pio exercitio RR. Pontifices concedere non renuerint, nunquam tamen harum indulgentiarum concessio universalis evasit. Modo vero cum supplicationes porrectæ fuerint SSmo D. N. Leoni PP. XIII quatenus universis Christifidelibus præfatum pium exercitium peragentibus Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur, idem Sanctissimus, hisce petitionibus clementer exceptis, quo ferventior erga defunctorum animas foveatur charitas, omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui sive publice sive privatim peculiaribus suffragiis devotisque obsequiis animabus in Purgatorio detentis solamen per integrum mensem novembrem quotidie afferre studuerint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in singulis præfati mensis diebus lucrandam, et iisdem pariter Plenariam Indulgentiam in una

memorati mensis die uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere pœnitentes, confessi ac s. communione refecti fuerint et aliquam Ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint clementer est impertitus, quas Indulgentias eadem Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles benigne declaravit. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ die 27 Januarii 1888.

CAJETANUS CARD. ALOISI MAZELLA, PRÆF.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secret.*

III.

Indult accordé aux Tertiaires Belges séculiers de saint François.

Dans notre Tome XVIII, nous avons rapporté le Décret de Sa Sainteté Léon XIII, en date du 16 Janvier 1886, permettant à tous les Tertiaires Franciscains de recevoir la bénédiction avec indulgence plénière aux fêtes de précepte qui tombent dans la huitaine du jour non férié auquel est fixée cette bénédiction, si une cause légitime les empêche d'aller la recevoir ce jour même à l'église (1).

Nous avons ensuite rapporté un indult accordé aux Tertiaires Franciscains du diocèse de Marseille, les autorisant à recevoir cette bénédiction la veille des fêtes auxquelles elle est fixée, et nous ajoutions : « Aussi faisons-nous des vœux pour que les Supérieurs Franciscains du Tiers-Ordre joignent leurs instances à celles des Évêques pour obtenir, en faveur de tous les Tertiaires, l'indult accordé au diocèse de Marseille (2). »

(1) Pag. 177. (2) Pag. 187.

C'est ce que vient de faire le Très Rév. Père Provincial des Capucins Belges en faveur des Tertiaires Franciscains de la Belgique : il a obtenu pour eux le privilège qui était accordé au diocèse de Marseille. Voici sa supplique et l'indult :

Beatissime Pater,

Hodiernus Moderator Provinciæ Min. S. Francisci Capuccinorum Belgicæ ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit qualiter difficillimum sit et haud semel impossibile, ob penuriam Confessariorum in dicta Provincia, quod Tertiarii sæculares S. P. Francisci Assis. tum sacramentalem confessionem peragant in ipsismet diebus in quibus dicta gratia ipsis a Benignitate Apostolica concessa fuit, adeo ut sæpe sæpius tanto spirituali solamine ac juvamento privati quamplures eorum remanere debeant.

Et ideo humilis exponens summis precibus expostulat ut gratia Sodalibus Tertii Ordinis in Massilia, per rescriptum S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ concessa, ad Tertiarios S. Francisci in Provincia Belgica pariter extendatur, ita ut videlicet memorati Tertiarii Absolutionem seu Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, etiam in vigilia Festorum seu dierum quibus adnexa, servatis cæterum aliis de jure servandis, accipere possint et valeant.

Et Deus...

Ex audientia SSmi diei 22 Februarii 1888.

SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis expositis, benigne annuit pro petita gratia juxta preces, ceteris servatis de jure servandis. Præsenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibus cumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria Sac. Congnis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 22 Februarii 1888.

S. CARD. VANNUTELLI, PRÆF.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

IV.

On doit réciter en latin le Petit Office de la sainte Vierge pour gagner les indulgences.

On nous a souvent demandé si, pour gagner les indulgences attachées à la récitation du petit Office de la sainte Vierge (1), il fallait le réciter en latin, ou s'il suffisait de le réciter en langue vulgaire, pourvu que la traduction en fût duement autorisée.

Après le Décret du 29 Décembre 1864, reproduit dans l'avant-propos du *Raccoltà* officiel, publié par ordre de S. S. Pie IX, nous hésitions à imposer aux fidèles qui voulaient gagner les indulgences, l'obligation de réciter cet office en latin. En effet, nous y lisions : « Sa Sainteté N. S. P. le Pape Pie IX, déclara aussi le 29 Décembre 1864 : Que les Indulgences attachées à la récitation des Prières peuvent être gagnées dans n'importe quelle langue elles soient récitées, pourvu toutefois que les versions en soient fidèles. Il suffira pour constater leur fidélité, de la déclaration de la S. Congrégation des Indulgences faite par le moyen de l'Éminentissime et Révérendissime Card. Préfet, ou de celle d'un des Ordinaires du lieu, et dont la propre langue est celle dans laquelle la prière a été traduite (2). » Il ne semblait pas, en

(1) Nous avons rapporté ci-dessus, pag. 31, le Décret de la S. Congrégation des Indulgences, du 17 Novembre 1887, attachant de nouvelles Indulgences à la récitation du Petit Office de la sainte Vierge.

(2) Pag. XVIII. En voici le texte latin, extrait de l'édition officielle de Pustet : *Decreta authentica, etc.*, n. 415, pag. 365 : « SSmus D. N. Pius Papa IX declaravit indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda indulgentia requiratur versionis fidelitas ; nihilominus, ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio Sacræ Congregationis Indulgentiarum per Eminentissimum Præfectum, vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus indulgentia concessa fuit. »

présence de la généralité des termes de cette déclaration, qu'il y eût lieu d'en excepter le petit Office de la sainte Vierge.

Des doutes furent cependant soulevés sur ce point, et soumis à la S. Congrégation des Indulgences. Les voici, avec la résolution qui leur fut donnée.

Beatissime Pater,

Fr. Dominicus a Cordibus Jesu et Mariæ, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ad pedes Sanctitatis Tuæ humiliter provolutus, solutionem sequentium dubiorum implorat :

I. Utrum Christifideles cuicumque Sodalitio adscripti loco recitandi preces, sive determinatas, sive non, quæ Sodalibus præscribuntur, pro acquirendis Indulgentiis iisdem precibus, recitare valeant Officium parvum B. M. Virginis?

II. Utrum ad lucrandas præfatas Indulgentias, idem sit recitare parvum Officium B. M. Virginis in lingua latina, vel vernacula?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita die 6 Maii 1887 respondit :

Ad I. Affirmative, si nullæ adsint preces determinatæ Sodalibus præscriptæ pro acquirendis Indulgentiis : Negative, si adsint preces jam determinatæ.

Ad II. Negative, quoad Officium parvum B. M. Virginis, sed illud est recitandum in lingua latina; quoad alias vero preces detur Decretum editum scilicet die 29 Decembris 1864.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem Sacræ Congregationis die, mense et anno, uti supra.

FR. THOMAS M. CARD. ZIGLIARA, PRÆF.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secret.*

CONFÉRENCES ROMAINES.

QUÆSTIONES MORALES DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ

De quibus deliberabitur in conventibus quos auspice viro Eminentissimo Lucido M. Parocchi, S. R. E. Presbytero Cardinali et Sanctissimi D. N. PP. Leonis XIII Vicario Generali, Romæ ad S. Apollinaris habebunt sacerdotes ex cœtu S. Pauli Apostoli diebus qui singulis quæstionibus inscripti sunt, a mense novembri anni 1887 ad julium 1888.

MONITUM.

Qui propositas quæstiones enodare, aut enodatas magis magisque illustrare, vel piam habere collationem debeant, meminerint illud quod nostro in cœtu semper solemne fuit, hæc omnia unius horæ spatio continenda. Initium vero conventus toto anno erit hora vicesima secunda.

I.

Die 21 Novembris 1887 hora 3 pom.

Titius, licet alias in sacramentis pœnitentiæ et eucharistiæ recipiendis satis sit frequens, ob domestica tamen infortunia variis implicitus negotiis et itineribus distentus a die paschatis anni proxime elapsi non amplius est confessus. Subsequenti paschate communionem peragere volens, discussa conscientia, plurium unice venialium recordatur; et insuper positive dubitat, num turpi adhæserit cogitationi. Unde primo quidem in animo ei est, elicito contritionis actu, eucharistiam sumere; deinde ad melius se disponendum confessionem præmittit.

Post aliquantum temporis in mentem recurrit grave quoddam

externum peccatum a se aliquot ante menses commissum et de quo in præcedenti confessione ne cogitaverat quidem. Mox hæret anceps, utrum ad annuæ confessionis implendum præceptum teneatur quamprimum denuo confiteri. Ad omnem tamen conscientiæ anxietatem deponendam aliam statim confessionem instituit. Qua expleta, sciendi causa et edocto prius de tota re confessario, ab eo humiliter petit, ut sequentibus dubiis respondere placeat :

1° *Quinam annuæ confessionis præcepto teneantur ; et quomodo in hoc præcepto tempus sit computandum ?*

2° *An ipse, conscius dumtaxat venialium et mortalis dubii, vi illius præcepti ad confessionem obligatus fuisset?*

3° *An confitendo tantum venialia et mortale dubium, omisso mortali, cujus tunc conscientiam non habebat, illi præcepto satisfecerit?*

4° *Et si secus, an vi illius præcepti debuisset grave peccatum ex oblivione omissum quamprimum confiteri?*

II.

Die 12 Decembris 1887 hora 3 pom.

In quadam civitate mos cœpit invalescere, ut fideles paschali præsertim tempore pergerent ad confitendum, non modo extra propriam parœciam, sed et extra diœcesim sine parochi venia. Quod vix ad aures Episcopi noviter electi pervenit, ægre hic ferens suos subditos, despecto proprio sacerdote, ad alienum se conferre, severissima lege omnibus prohibuit, ne paschali saltem tempore, vel urgente annuæ confessionis præcepto, ad quemvis alium licet regularem confessarium alienæ diœcesis, inscio parocho, accederent, sub pœna nullitatis peractæ confessionis.

Berta quæ solet frequentare finitimum quoddam sanctuarium B. Virginis in alia diœcesi situm, ibique apud Titium capellanum confiteri, paschali tempore ad eum de more accedit. Qui tamen de edita episcopali lege apprime conscius, eam pro illa vice dimittit, ratus pœnitentem nec licite, nec valide contra proprii

superioris voluntatem absolvi posse, nec hujusmodi confessionem censeri proprio sacerdoti factam. Nihilominus Berta, ne inconfessa domum rediret, Caium capuccinum adit, qui, licet factus de tota re certior, eam intrepide absolvit.

Quæritur ;

1° *Quinam censendus sit proprius sacerdos, cui ex præscripto Concilii Lateranensis IV confessio est facienda?*

2° *An confessio Bertæ, apud Caium regularem instituta, censenda sit facta proprio sacerdoti ?*

3° *An licite et valide etiam Titius, ut proprius sacerdos, eam potuisset absolvere ?*

III.

Die 9 Januarii 1888 hora 3 1/4 pom.

Titius mercator negotiorum causa iter maritimum in dissitam regionem quadragesimali tempore suscipere cogitur. Licet jam instet dies dominica palmarum et ipse prævideat fore, ut per ferias paschales a communione impediatur, nihilominus ab eadem anticipanda, licet facile posset, abstinet. Sed nec post expletum paschale tempus communicat, ratus præceptum communionis huic tempori esse affixum, sicut præceptum jejunii et audiendi missam est addictum vigiliis et festis diebus.

In patriam reversus verba faciens cum Caio sacerdote amico de non anticipata et deinde ratione itineris omissa paschali communione, ab eodem audit, urgeri adhuc, licet non debuerit prævenire, gravi obligatione eam quamprimum suscipiendi : adeoque eum toties peccare, quoties, data opportunitate, communionem differt.

Titius, qui scientiæ amici non multum fidit, theologum adit, et omnibus prius enarratis, ab eo quærit :

1° *Quonam tempore fideles communicare teneantur?*

2° *An qui prævidet, se non posse tempore paschali communicare, teneatur prævenire?*

3° *An qui hoc tempore communionem omisit debeat adhuc eam sumere et sumere quamprimum?*

4° *An Cajus recte quoad omnia sibi responderit?*

IV.

Die 30 Januarii 1888 hora 3 3/4 pom.

Recitatur oratio de laudibus S. Pauli Apostoli, quem cœtus noster sibi patronum adlegit. Deinde per Emum ac Rmum D. Cardinalem Urbis Vicarium fit præmiorum distributio iis, qui per elapsum annum, juxta nostri cœtus statuta ecclesiasticis studiis fovendis, periculo facto, cæteris judicio censorum præstiterunt.

V.

Die 27 Februarii 1888 hora 4 1/4 pom.

Titius romanus, in instituenda totius anteactæ vitæ sacramentali confessione præter alia interrogatus, an quovis anno præcepto communionis paschalis rite satisfecerit, hæc sincere manifestat.

Equidem nunquam paschalem communionem omisi: sed uno vel altero anno feria quinta in Cœna Domini communicavi, non in mea parœcia, sed peculiaris devotionis causa in Basilica Lateranensi; et quidem eucharistiam suscipiendo de manu Archipresbyteri, qui tunc temporis erat simul Cardinalis Vicarius Urbis. Alio anno, cum per paschales ferias in aliena urbe moras traherem, sine animo tamen diu ibidem commorandi, accessi ad communionem, non in mea parœcia, intra cujus fines hospitium erat, sed in ecclesia Minorum de Observantia, in qua confessus fueram. Reversus deinde Romam die sabbati ante Dominicam *in albis*, quamvis facile communionem in propria parœcia resumere potuissem, id neglexi. Tandem anno proxime superiori, ut amico moram gererem, simul in illius parœcia communicavimus. Subiit

quidem in mentem prius a meo parocho veniam petere; id autem inutile esse duxi : adeo enim ille benevolo animo in me est, ut vix rogatus id mihi ultro indulsisset.

His auditis, confessarius secum quærit :

1° *An sit præceptum obligans sub gravi communicandi paschali tempore in propria parœcia?*

2° *An eodem præcepto teneantur vagi et peregrini?*

3° *Quisnam possit ab hoc præcepto dispensare?*

4° *Quid judicandum de tota Titii agendi ratione?*

VI.

Die 12 Martii 1888 hora 4 1/2 pom.

Titius, qui Romæ pio et religioso viro famulatur, recurrente paschali tempore admonetur ab hero de suscipiendæ eucharistiæ obligatione. Confessarium igitur adit, a quo tamen ob occasionem proximam a se voluntarie retentam absque absolutione dimittitur. Quare ut communionis paschalis tesseram, quæ in ecclesiis parochialibus distribui solet, domino eam forte requirenti tradere possit, sacrilege ad sacram synaxim accedit.

Elapsis feriis paschalibus, facti pœnitens ad Caium confessarium accedit; a quo admirans audit, eum facultate ad se absolvendum carere. Titio hujus rei causam sciscitanti Caius reponit, per communionem sacrilegam, adeoque nullam, præcepto paschalis communionis eum non satisfecisse. Omissionem vero hujus præcepti Romæ esse unum ex duobus casibus reservatis, a quibus ipse nequeat absolvere. Designato itaque confessario, qui in reservata polleat facultate, Titium dimittit.

Quæritur :

1° *An præcepto communionis paschalis satisfiat per indignam eucharistiæ susceptionem?*

2° *An qui Romæ sacrilege tempore paschali communicat in casum reservatum incidat?*

3° *An Caius confessarius recte cum Titio egerit?*

VII.

Die 9 Aprilis 1888 hora 5 pom.

Cum quodam in oppido festum patroni principalis incideret in feriam sextam, parochus loci a S. Sede obtinuit indultum per eam diem carnes manducandi, ea tamen sub conditione, ut obligatio abstinentiæ affixa feriæ sextæ anteferretur in feriam quartam ejusdem hebdomadæ.

Titius, qui in eodem oppido per id tempus rusticatur, feria quarta carnibus vescitur ; cum enim obligatio abstinendi per illam diem a carnibus sit specialis pro loco quo commoratur, putat, se utpote peregrinum illi non esse obnoxium. Sed nec feria sexta carnibus abstinet, ratus illud indultum esse privilegium locale, quo frui possunt omnes, qui ibi actu degunt. Insuper, cum in eo loco abundans fit fulicum venatio, iisdem vescitur etiam diebus abstinentiæ, existimat enim, illud animal utpote aquaticum sub genere piscium comprehendi. Quod judicium firmat ex praxi quorumdam religiosorum, qui licet severissimam a carnibus abstinentiam ex regula profiteantur, tamen fulicibus impune vescuntur. Tandem reversus in patriam, cum a lege abstinentiæ fuisset ratione infirmitatis dispensatus, hanc dispensationem ad totam familiam extendit, ne expensas duplicare pro duabus diversis comestionibus cogatur.

Quæritur :

1° *Quid veniat nomine carnium, quarum esus diebus abstinentiæ fidelibus ab Ecclesia interdicitur ; et nominatim, an fulices sub eo genere comprehendantur?*

2° *An qui alicubi peregrinantur a speciali lege abstinentiæ ibidem vigente exempti sint ; et simul frui possint locali indulto carnes manducandi?*

3° *An pater familias a lege abstinentiæ dispensatus, hanc dispensationem ad omnes de familia extendere possit?*

4° *An aliquid sit reprehendendum in tota Titii agendi ratione?*

VIII.

Die 23 Aprilis 1888 hora 5 1/4 pom.

Titius faber ferrarius romanus, quamdiu ob laboriosæ suæ artis exercitium a lege jejunii mansit exemptus, quadragesimali tempore (quo viget in Urbe manducandi carnes generale indultum) diebus indulto comprehensis usus est carnibus, non semel tantum per diem, sed quoties sibi libuit, miscens simul in eadem comestione et pisces. Audivit enim a suo confessario, legem tum permittentem esum carnium in unica comestione, tum interdicentem in eadem comestione ciborum promiscuitatem, jejunantes dumtaxat afficere.

Successu temporis Titius pinguem consecutus hæreditatem, laboriosæ suæ arti nuncium remisit, contentus de bonis sibi obventis tranquille vivere. Interea tamen quadragesimali tempore, eodem probante confessario, hanc agendi rationem servat. Sæpe simul cum carnibus in unica comestione aliud jungit ferculum, in quo halices sale siccatæ et tritæ ad instar condimenti sunt appositæ. Sæpe etiam, ut piscibus vesci sibi liceat, utitur in unica comestione jure tantum ex carnibus expresso, quod quandoque etiam concretum (vulgo *gelatina*) sumit.

Tandem cum minus firma esset valetudine, semel obtenta a lege abstinentiæ dispensatione, putavit etiam, auctore eodem confessario, se per consequens solutum a lege tum servandi jejunium, tum vitandi per jejunii dies ciborum promiscuitatem.

Quæritur :

1° *An indultum permittens per jejunii dies esum carnium in unica comestione et interdicens in una et eadem comestione ciborum promiscuitatem jejunantes dumtaxat respiciat?*

2° *Quando urgeat et quomodo intelligenda sit hujusmodi lex ciborum promiscuitatem in eadem comestione vetans?*

3° *An dispensatus ratione infirmitatis ad carnes censeatur hoc ipso exemptus a lege jejunii et vitandæ promiscuitatis ciborum?*

4° *An sententia a Titii confessario expressa quoad omnia sit approbanda?*

IX.

Die 7 Maii 1888 hora 5 1/2 pom.

Titius ex publico munere, quo fungitur, tantum commode lucratur, quo juxta suum statum decenter vivat. Cum nihilominus vocem toto instructam organo a natura concessam habeat, ex ea subsecivis horis majus adhuc lucrum sibi captare studet. Ne vero vox e candida declinet in fuscam, diebus, quibus ei canendum est, licet in eos obligatio jejunii interdum incidat, ad duas vel tres uncias utitur electuariis, vel saccharo hordeato, cujus frustula identidem una cum saliva in stomachum trajicit. Iisdem jejunii diebus penes eum, a quo ad canendum invitatur, modo potionem gelidam (vulgo *gelato*) haurit, modo oblato sibi vino, ne potus noceat, aliquid etiam cibi simul sumit. Tandem quadam jejunii die a viro principe invitatus ad prandium, cum sublatis jam mensis omnes commensales in aliam aulam recreationis causa convenissent, Titius, ut tantillum caneret rogatus, tanta arte et suavite id præstitit, ut vir nobilis jusserit in illius honorem novum ferculum afferri, de quo et ille cum cæteris manducavit, licet per horam et aliquid amplius a cibo cessatum fuisset.

Occasione communionis paschalis stimulis conscientiæ pressus, omnia hæc Titius suo confessario pandit, ab eo simul quærens :

1° *An præceptum unicæ comestionis pro jejunii diebus excludat quamlibet præterea cibi, vel potus, vel medicinæ sumptionem?*

2° *An et intra quod temporis intervallum ei, qui a mensa surrexit, liceat ad eamdem redire?*

3° *An sibi liceat servatam adhuc praxim in posterum sequi?*

X.

Die 28 Maii 1888 hora 6 pom.

Titius clericus in seminario diœcesano theologiæ vacans, qui mox vigesimum primum ætatis annum excessit, ad omnem conscientiæ anxietatem deponendam, definire sibi cupit, quantum cibi per jejunii dies sumere liceat in collatiuncula vespertina. Post expensas varias theologorum in hanc rem sententias, illam tandem præ cæteris utpote communiorem amplectitur, quæ permittit octo circiter cibi uncias : quam tamen particulam *circiter* sumit juxta sensum, quo apponitur accusationi peccatorum, quorum quis exactum numerum non recordatur, adeo ut secum statuat, novem vel decem cibi uncias quemquam sine ullo peccato sumere posse.

At vix expeditus ab una difficultate in aliam incidit; nempe non suppetit ei ratio, qua sibi in singulis cœnulis constare certo possit permissus unciarum numerus. Unde tandem aliquando concludit, manducare se posse ea omnia, quæ in collatiuncula vespertina singulis alumnis in communi mensa apponuntur. Superiores enim, secum ratiocinatur, legem jejunii, qua alumni tenentur, profecto non ignorant et sicut curant de delectu ciborum quoad eorum qualitatem, ita etiam censendi sunt de eorumdem quantitate esse solliciti.

Quæritur :

1° *Quœnam cibi quantitas in cœnula sine peccato sumi possit?*

2° *Quinam excessus in hac quantitate censeatur gravis?*

3° *An quoad omnia Titius bene se gesserit?*

XI.

Die 11 Junii 1888 hora 6 1/4 pom.

Non semel Titius viros non indoctos affirmantes audivit, Christi fideles in pervigilio diei natalis Domini, ex consuetudine

jam legitime inducta, non eadem, qua per alios jejunii dies, severa lege quoad cibi quantitatem adstringi. Itaque in illo pervigilio hanc sibi rationem ineundam censet.

Aliis jejunii diebus, secum inquit, matutinam potionem chocolati, quod, præcisa aqua, una cum panis frustulo duas uncias non excedat, sumere soleo; hodie ratione solemnitatis duabus unciis duæ aliæ unciolæ superaddantur. Escis in cœnula vescor juxta illorum theologorum auctoritatem, qui septem vel octo uncias cibi permittunt : sit hodie pariter sanctæ lætitiæ signum duplicato cibo cœnare.

Nec satis : hanc duplicatam cœnulam Titius sumit paulo ante meridiem, ut deinde ad vesperas cum familia et amicis magno prandio de more participare possit.

Quæritur :

1° *An constet de legitimitate consuetudinis a Titio memoratæ?*

2° *An stante hac consuetudine liceat nihilominus cœnulam duplicatam anticipare et prandium ad vesperas differre?*

3° *An ratio agendi Titii in omnibus sit probanda?*

XII.

Die 25 Junii 1888 hora 6 1/4 pom.

Titius, faber lignarius valde locuples, plures habet in sua officina operarios, quibuscum non quidem semper, sed quandoque prout sibi lubet collaborat. In more autem habet diebus jejunii laboriosis suæ artis operibus cum iisdem insistere, eo consilio, ut deinde defatigatus fiat impotens ad jejunium. Quod semel etiam omisit ob pharmacum a medico sibi præscriptum, cujus sumptio cum observantia jejunii per illam diem componi non poterat : quamquam facile potionem medicam ad aliam diem potuisset differre. Tandem, cum unica illius filia in gravem morbum incidisset, ad divinam opem exorandam, piam peregrinationem ad insigne B. Virginis simulacrum quindecim milliariis distans die jejunii pedester suscepit; exinde viribus fractus a jejunando abstinuit.

Quæritur :

1° *Quænam sint generatim causæ a jejunio excusantes?*

2° *An liceat ejusmodi causas voluntarie apponere?*

3° *An recte in omnibus Titius se gesserit?*

XIII.

Die 9 Julii 1888 hora 6 1/4 pom.

Eadem illa media nocte, quæ finem imponit feriæ quintæ majoris hebdomadæ, Titius clericus theologiæ vacans vigesimum primum, Berta vero ejus contubernalis quinquagesimum ætatis annum, adhuc viribus valida, complet. Dum ille beneficio ætatis utens large piscibus et leguminibus cœnat, ex proximi templi horologio nuntiatur horam esse duodecimam et sextam feriam jam inchoari. Tum Titio cœnanti præclara hæc argumentandi ratio occurrit, ne a reliqua cœna abstineat. Incœptum habetur pro completo : ergo cœna paulo ante mediam noctem incœpta pro completa habenda est, etiamsi eam nunc producam : tota scilicet referenda est ad illud tempus, quo annus vigesimus primus nondum completus erat. Confirmatur, ille pergit, exemplis. Nam lex de sacro faciendo per illud temporis spatium, quod est auroram inter et meridiem, servata est a sacerdote, qui illud paulo ante meridiem exorsus post meridiem perfecerit. Item obligatus quis ad horas canonicas, si hodiernam cœperit multo vespere, non defuit officio suo, cum eamdem post mediam noctem absolverit : utraque scilicet actio in illud tempus, quo cœpta est, tota rejicitur.

Titio cœnam producenti ecce adest contubernalis Berta, quæ ab eodem ad simul discumbendum invitata ratione jejunii se excusat. Reponit Titius, ut ipsa, utpote jam quinquagenaria, jure utatur, quod ad non jejunandum ex senectute habet. Ægre admodum hæc audit Berta, quæ tamen, ut gulæ indulgeat, patitur se anum reputari. Sedet igitur ad mensam et simul cum juvene opipare cœnat.

Quæritur :

1° *A qua ætate incipiat et qua ætate cesset sive pro viris, sive pro mulieribus jejunii obligatio?*

2° *An recte quoad se Titius ratiocinatus fuerit?*

3° *An idem vere de causa Bertæ judicaverit?*

CONFÉRENCES ROMAINES.

QUESTIONS DE L'ACADÉMIE LITURGIQUE EN 1887.

Les *Ephemerides liturgicæ* ont commencé, dans leur numéro de janvier 1888, la publication du compte-rendu authentique des solutions données aux questions traitées en 1887. Nous avons l'intention d'en donner un aperçu à nos lecteurs, en y ajoutant les considérations qui pourront nous paraître nécessaires. Nous parlerons aujourd'hui de la première conférence; et, pour ne pas forcer nos lecteurs à reprendre le volume de 1887, nous reproduisons le texte des questions.

PREMIÈRE CONFÉRENCE.

DE QUIBUSDAM CÆREMONIIS IN SACRA ORDINATIONE.

Titius, recens consecratus Episcopus, prima vice ordinationem peragit in sua Cathedrali Ecclesia. Accidit autem ut ostiariis una tantum clavis tangenda tradita sit. Accepturi vero Ordinem Subdiaconatus calicem quidem cum patena, non autem aquæ et vini urceolos, nec bacile cum manutergio ex oblivione tetigerunt. Insuper ipse Episcopus duobus Diaconibus Presbyteratum suscipientibus imposuit quidem manus super caput, quod tamen nequaquam tetigit. Quinimo impositas manus statim retraxit et ante pectus plicatas retinuit, donec ab sua impositione cessarit Clerus. Tunc enim dextera iterum manu super ordinandos extensa, incepit : *Oremus*, etc. Denique in communionis administratione Episcopus, ex consilio cæremoniarum magistri, communem Pon-

tificalis formulam pro sacerdotibus omisit, eosque nil dicens Christi corpore cibavit. Quæ omnia, absoluta functione, recogitans cæremoniarum magister, secum quærit :

1° *An physicus cujusque materiæ tactus in singulis Ordinibus, sicuti in impositione manuum super caput, omnino requiratur ad validitatem tam in Latina, quam in Græca Ecclesia?*

2° *Quid de singulis judicandum, ut fert casus?*

3° *Quid de Titii agendi ratione censendum?*

RÉPONSES.

II. Cum divinum dicimus in natura, vocabulum istud *divinum* non usurpamus ad significandum effectum non divinum causæ divinæ: neque mens nobis est loqui de *divino* quodam, quod tale sit per participationem.

II. Dicendo il divino nella natura, non prendo questa parola *divino* a significare un effetto non divino di una causa divina. Per la stessa ragione non è mia intenzione di parlare d'un divino, che sia tale per partecipazione. *(Ivi)*.

III. In natura igitur universi, id est in intelligentiis quæ in ipso sunt, aliquid est, cui convenit denominatio divini non sensu figurato, sed proprio.

Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinæ.

III. Vi è dunque nella natura dell'universo, cioè nelle intelligenze che sono in esso, qualche cosa, a cui conviene la denominazione di divino, non dico in un senso figurato, ma in un senso proprio. (*Teosof.*, Vol. IV, *Del divino nella natura*, num. 15, pp. 18-19). È una... attualità indistinta dal resto dell'attualità divina, indivisibile in se, divisibile per astrazione mentale. (*Teosof.*, Vol. III, n. 1423, p. 344).

IV. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.

IV. L'essere indeterminato (essere ideale), il quale è indubitatamente palese a tutte le intelligenze, (*è quel divino che*) si manifesta all'uomo nella natura. (*Teosof.*, Vol. IV, nn. 5 e 6, p. 8).

V. Esse quod homo intuetur necesse est, ut sit aliquid entis necessarii et æterni, causæ creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium : atque hoc est Deus.

V. L'essere intuito dall'uomo deve necessariamente essere qualche cosa d'un ente necessario ed eterno, causa creante, determinante e finiente di tutti gli enti contingenti : e questo è Dio. (*Teosof.*, Vol. I, n. 298, p. 241).

VI. In esse quod præscindit a creaturis et a Deo, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminato, sed absoluto, eadem est essentia.

VI. Nell'uno (essere che prescinde dalle creature e da Dio, e che è l'essere indeterminato), e nel l'altro essere (che non è più indeterminato, ma Dio stesso, essere assoluto) c'è la stessa essenza. (*Teosof.*, Vol. II, n. 848, p. 150).

VII. Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid Verbi, quod mens Patris distinguit non realiter, sed secundum rationem, a Verbo.

VII. L'essere indeterminato della intuizione... l'essere iniziale... è qualche cosa del Verbo, che ella (la mente del Padre) distingue non realmente, ma secondo la ragione, dal Verbo. (*Teosof.*, Vol. II, n. 848, p. 150; Vol. I, n. 490, p. 445).

VIII. Entia finita quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, idest ex termino reali finito et ex esse initiali, quod eidem termino tribuit formam entis.

VIII. Gli enti finiti che compongono il mondo risultano da due elementi, cioè dal termine reale finito, e dall'essere iniziale, che dà a questo termine la forma di ente. (*Teosof.*, Vol. I, n. 454, p. 396).

IX. Esse, objectum intuitionis, est actus initialis omnium entium.

Esse initiale est initium tam cognoscibilium quam subsistentium : est pariter initium Dei, prout a nobis concipitur, et creaturarum.

IX. L'essere, oggetto dell'intuito... è l'atto iniziale di tutti gli enti. (*Teosof.*, Vol. III, n. 1235, p. 73). L'essere iniziale dunque è inizio tanto dello scibile quanto del sussistente... è ugualmente inizio di Dio, come da noi si concepisce, e delle creature. (*Teosof.*, Vol. I, n. 287, p. 229; n. 288, p. 230).

X. Esse virtuale et sine limitibus est prima ac simplicissima omnium entitatum, adeo ut quælibet alia entitas sit composita,

et inter ipsius componentia semper et necessario sit esse virtuale. — Est pars essentialis omnium omnino entitatum, utut cogitatione dividantur.

X. L'essere virtuale e senza termini (*Divino in se stesso, appartenenza di Dio*) è la prima e la più semplice delle entità, per così fatto modo che qualunque altra entità è composta, e tra i suoi componenti c'è l'essere virtuale sempre e necessariamente. — L'essere virtuale è parte essenziale di tutte affatto le entità, per quantunque col pensiero si dividano. (*Teosof.*, Vol. I, n. 280, p. 221 ; n. 281, p. 223).

XI. Quidditas (id quod res est) entis finiti non constituitur eo quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis infiniti constituitur entitate, et est positiva ; quidditas vero entis finiti constituitur limitibus entitatis, et est negativa.

XI. La quiddità (ciò che una cosa è) dell'ente finito non è costituita da ciò che egli ha di positivo, ma da suoi limiti... La quiddità dell'ente infinito è costituita dall'entità, ed è positiva, e la quiddità dell'ente finito è costituita dai limiti dell'entità, ed è negativa. (*Teosof.*, Vol. I, n. 726, pp. 708-709).

XII. Finita realitas non est, sed Deus facit eam esse addendo infinitæ realitati limitationem.

Esse initiale fit essentia omnis entis realis.

Esse quod actuat naturas finitas, ipsis conjunctum, est recisum a Deo.

XII. La realità finita non è, ma egli (Dio) la fa essere coll'aggiungere alla realità infinita la limitazione. (*Teosof.*, Vol. I, n. 681, p. 658). L'essere iniziale... diventa l'*essenza* di ogni ente reale. (*Ivi*, Vol. I, n. 458, p. 399). L'essere che attua le nature finite, a queste congiunto, essendo reciso da Dio... (*Ivi*, Vol. III, n. 1425, p. 346).

XIII. Discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo majus : unum enim est absolute ens, alterum est

absolute non-ens. At hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens; hinc absolutum et relativum absolute non sunt unica substantia, sed unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, imo habetur unitas esse.

XIII. La differenza che passa tra l'essere assoluto e il relativo non è quella di sostanza a sostanza, ma una molto maggiore...; perocchè v'ha differenza di essere in questo senso, che l'uno è assolutamente ente, l'altro è assolutamente non-ente. Ma questo secondo è relativamente ente : ora col porre un ente relativo non si moltiplica assolutamente l'ente; sicchè rimane che assolutamente l'assoluto e il relativo sia non già una sostanza sola, ma bensì un essere solo, e in questo senso non v'abbia diversità di essere, anzi unità di essere. *Teosof.*, Vol. V, Cap. IV, p. 9).

XIV. Divina abstractione producitur esse initiale, primum finitorum entium elementum: divina vero imaginatione producitur reale finitum, seu realitates omnes, quibus mundus constat.

XIV. Coll'astrazione divina abbiamo veduto come sia stato prodotto l'*essere iniziale*, primo elemento degli enti finiti : coll'imaginazione divina, abbiamo pure veduto come sia stato prodotto il *reale finito* — tutte le realtà di cui consta l'universo. (*Teosof.*, Vol. I, n. 463, p. 408).

XV. Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina synthesis, idest unio duorum elementorum : quæ sunt *esse initiale*, commune omnium finitorum entium initium, atque *reale* finitum, seu potius diversa realia finita, termini diversi ejusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita.

XV. La terza operazione dell'essere assoluto creante il mondo è la *sintesi divina*, cioè l'unione dei due elementi, l'*essere iniziale* inizio comune di tutti gli enti finiti, e il *reale* finito, o per dir meglio, i diversi reali finiti, termini diversi dello stesso essere iniziale. Colla quale unione sono creati gli enti finiti. *(Ivi)*.

XVI. Esse initiale per divinam synthesim ab intelligentia rela-

tum, non ut intelligibile, sed mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut existant entia finita subjective et realiter.

XVI. Riferito dall'intelligenza, per mezzo della sintesi divina, l'essere iniziale, non come intelligibile ma puramente come essenza, ai *termini reali finiti*, fa che esistano gli enti finiti subiettivamente e realmente. (*Teosof.*, Vol. I, n. 464, p. 410).

XVII. Id unum efficit Deus creando, quod totum actum esse creaturarum integre ponit : hic igitur actus proprie non est factus, sed positus.

XVII. Quello che fa Iddio (*creando*) è unicamente di porre tutto intero l'atto dell'essere delle creature ; dunque quest'atto non è propriamente *fatto*, ma è *posto*. (*Teosof.*, Vol. I, n. 412, p. 350).

XVIII. Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis, et qui est ratio, qua se determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quæ in ente perfectissimo semper inducit effectum : hujusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem.

XVIII. Vi ha una ragione in Dio stesso, per la quale ei si determina a creare : e questa ragione è di novo l'amore di se stesso, il quale si ama anche nelle creature. Quindi la divina sapienza, come meglio altrove esporremo, trova esser cosa conveniente la creazione, e questa semplice convenienza basta a far sì che l'Essere perfettissimo vi si determini. Ma non si dive confondere questa necessità di convenienza con quella necessità che nasce dalla forma reale dell'Essere, e che necessità fisica si suol chiamare. La necessità di convenienza è una necessità morale : cioè veniente dall'Essere sotto la sua forma morale : e la necessità morale non sempre induce l'effetto, che ella prescrive ; ma lo induce solo nell'Essere perfettissimo, e non negli esseri imperfetti (a molti dei quali rimane perciò la libertà bilaterale), perchè l'Essere perfettissimo è insieme moralissimo, cioè ha compiuta in sè ogni esigenza morale. (*Teosof.*, Vol. I, n. 51, pp. 49-50).

XIX. Verbum est materia illa invisa ex qua, ut dicitur Sap. XI, 48, creatæ fuerunt res omnes universi.

XIX. Il Verbo è quella *materia invisa* da cui dice il libro della Sapienza (XI, 18) che furono create le cose tutte dell'universo. (*Introduz. del Vangelo secondo Giov.*, lez. 37, p. 109).

XX. Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere.

XX. Niente ripugna che il soggetto, di cui si parla, si moltiplichi per via di generazione. (*Psicolog.*, 1, 4, n. 656). Noi abbiamo già detto che la generazione dell'anima umana si può concepire per gradi progressivi dall' imperfetto al perfetto, e però che prima ci sia il principio sensitivo, il quale giunto alla sua perfezione colla perfezione dell'organismo, riceva l'intuizione dell'essere, e così si renda intellettivo e razionale. (*Teosof.*, Vol. I, n. 646, p. 619).

XXI. Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale.

XXI. Rendendosi l'essere intuibile al detto principio (sensitivo), con questo solo toccamento, con questa unione di sè, il principio prima solo senziente, ora anco intelligente, si solleva a più alto stato, cangia natura, rendesi intellettivo, sussistente, immortale. (*Antropol.*, 1. 4, c. 5, n. 819). Quindi si offre alla mente l'espressione, che il *principio sensitivo* sia divenuto *principio razionale*, che si sia convertito in un altro, avendo subito veramente una tale permutazione. (*Teosof.*, Vol. I, n. 646, p. 619).

XXII. Non est cogitatu impossibile, divina potentia fieri posse ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale : maneret nempe in ipso, tamquam basis puri animalis, principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix.

XXII. Quanto poi alle appendici di cui parliamo, cioè al corpo animato, non è certo impossibile il pensare, che dalla potenza divina possa esser da lui divisa l'anima intellettiva, ed egli tuttavia rimanersi nella qualità di animale, rimanendo il principio animale, che prima esisteva come appendice, siccome base del novo ente, cioè del pure animale che rimarrebbe. (*Teosof.*, Vol. I, n. 621, p. 591).

XXIII. In statu naturali, anima defuncti existit perinde ac non existeret : cum non possit ullam super seipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.

XXIII. Questa (l'anima del defunto) esiste certamente, ma è come se non esistesse. (*Teodicea*, *Appendice*, art. 10, p. 638). Nel quale stato (di natura) non essendo a lei (all'anima separata) possibile alcuna riflessione su di sè stessa, nè alcuna coscienza, la sua condizione si potrebbe rassomigliare ad uno stato di perpetue tenebre, e di sempiterno sonno. (*Introduz. del Vangelo secondo Giov.*, lez. 69, p. 217).

XXIV. Forma substantialis corporis est potius effectus animæ, atque interior terminus operationis ipsius : propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima.

Unio animæ et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subjectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit.

XXIV. La forma sostanziale del corpo è piuttosto un effetto dell'anima et il termine interno delle sue operazioni : e però non è l'anima stessa che sia la forma sostanziale del corpo. (*Psicol.*, Par. II, L. I, c. 11, n. 849). L'unione dell'anima col corpo consiste propriamente in una percezione immanente, per la quale il soggetto intuente l'idea afferma il sensibile dopo averne in questa intuita l'essenza. (*Teosof.*, Vol. V, Cap. LIII, art. II, § 5, V. 4°, p. 377).

XXV. Revelato mysterio SSmæ Trinitatis, potest ipsius

existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut cæteræ : si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *puræ rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur.

XXV. Il mistero della Triade... dopo che fu rivelato, esso rimane bensì incomprensibile nella sua propria natura... ma ben... si può conoscere quella (l'esistenza) d'una Trinità in Dio in un modo almeno congetturale con ragioni positive e dirette, e dimostrativamente con ragioni negative ed indirette; e che, mediante queste prove puramente speculative dell'esistenza d'un'augustissima Triade, questa misteriosa dottrina rientra nel campo della filosofia. Quest'esistenza della SSma Trinità diventa una proposizione scientifica come le altre. Qualora si negasse quella Trinità, ne verrebbero da tutte le parti conseguenze assurde apertamente... O conviene ammettere la divina Triade, o lasciare la dottrina teosofica di pura ragione incompleta non solo, ma pugnante d'ogni parte seco medesima, e dagli assurdi inevitabili straziata e del tutto annullata. (*Teos.*, Vol. I, nn. 191, 193, 194, pp. 155-158).

XXVI. Tres supremæ formæ *esse*, nempe subjectivitas, objectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personæ subsistentes et viventes.

Verbum, quatenus objectum amatum, et non quatenus Verbum idest objectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti.

XXVI. L'essere nelle tre forme (*subiettività, obiettività, santità*, o per dirlo altramente : *realità, idealità, moralità*) è identico. Le tre forme poi dell'essere, ove si trasportino nell'Essere assoluto, non si possono più concepire in altro modo, che come persone sussistenti e viventi. (Vol. I, nn. 190, 196, pp. 154, 159). Il Verbo, *in quanto* è oggetto amato, e non in quanto è

Verbo, cioè oggetto sussistente per sè cognito, è la persona dello Spirito Santo. (*Introd. del Vang. secondo Giov.*, lez. 65, p. 200).

XXVII. In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Sp. Sancto ad adhærendum Esse objectivo, idest Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et, cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

XXVII. Nell'umanità di Cristo la volontà umana fu talmente rapita dallo Spirito Santo ad aderire all'essere oggettivo, cioè al Verbo, che ella cedette intieramente a lui il governo dell'uomo, e il Verbo personalmente ne prese il regime, così incarnandosi, rimanendo la volontà umana e l'altre potenze subordinate alla volontà in potere del Verbo, che, come primo principio di quest'essere Teandrico, ogni cosa faceva, o si faceva dalle altre potenze col suo consenso. Onde la volontà umana cessò di essere personale nell'uomo, e da persona che è negli altri uomini rimase in Cristo natura... Il Verbo poi, incarnato così per opera dello Spirito Santo, estese la sua unione a tutte le potenze ed alla carne stessa. (*Introduz. del Vangelo secondo Giov.*, lez. 85, p. 281).

XXVIII. In christiana doctrina, Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum qui cum fide suscipiunt baptismum Christi.

Verbum, idest character in anima impressum, in doctrina christiana, est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam SSmæ Trinitatis.

XXVIII. Insegnò dunque il Cristianesimo che il Verbo, carattere e faccia di Dio, come viene anco sovente chiamato nelle Scritture, s'imprime nelle anime di quelli, che colla fede ricevono il battesimo di Cristo. (*Introduz. alla Filos.*, n. 92). Il Verbo dunque ossia il carattere impresso nell'anima, secondo il cristiano insegnamento, è l'essere reale infinito per sè manifesto, il quale

dipoi sappiamo essere una persona, la seconda della divina Trinità. (*Ivi, Nota*).

XXIX. A catholica doctrina, quæ sola est veritas, minime alienam putamus hanc conjecturam : In eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat : eo ferme modo quo panis et vinum vere transubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis.

XXIX. Non crediamo aliena dalla dottrina cattolica, che solo è verità, la seguente conghiettura (*cioè che nell'Eucaristico Sacramento*) la sostanza del pane e del vino ha cessato intieramente d'essere sostanza del pane e del vino, ed è divenuta vera carne e vero sangue di Cristo, quando Cristo la rese termine del suo principio senziente, e così la avvivò della sua vita, a quel modo come accade nella nutrizione, che il pane che si mangia e il vino che si beve, quand' è, nella sua parte nutritiva, assimilato alla nostra carne e al nostro sangue, egli è veramente transustanziato, e non è più, come prima, pane o vino, ma è veramente nostra carne e nostro sangue, perchè è divenuto termine del nostro principio sensitivo. (*Introduz. del Vang. secondo Giov.*, lez. 87, pp. 285-286).

XXX. Peracta transubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam, indivisam, pariterque gloriosam.

XXX. Avvenuta la transustanziazione, si può intendere che al corpo glorioso (di Gesù Cristo) si sia aggiunto qualche parte in esso incorporata, et indivisa e del pari gloriosa. (*Ivi*).

XXXI. In Sacramento eucharistiæ, *vi verborum* corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura quæ respondet quantitati (a quel tanto) substantiæ panis et vini quæ transubstantiantur : reliquum corporis Christi ibi est *per concomitantiam*.

XXXI. Appunto perchè il corpo di Cristo è unico ed indiviso,

egli è necessario che dove si trova una parte si trovi tutto...; ma non tutto quel Corpo diviene termine del suo principio senziente, ma unicamente quella parte che risponde a quel tanto che v'aveva di sostanza di pane e di sostanza di vino nella transustanziazione. Ancora ne verrebbe che in virtù delle parole divine questa sostanza del pane e del vino si transustanziasse in carne e sangue del Salvatore; ma il rimanente del corpo e del sangue vi rimanesse unito per concomitanza, il che non par contrario alla dottrina cattolica. *(Ivi*, p. 286, *seg.)*.

XXXII. Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquæ, sanguinis aut desiderii, certo consequuntur vitam æternam, dicendum est his qui hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi subministrari hunc cœlestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti.

Hinc etiam Santis V. T. potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.

XXXII. Se dunque chi non mangia la carne del Figliuolo dell'uomo, e bee il suo sangue, non ha la vita in se stesso, e tuttavia chi muore col battesimo d'acqua, o di sangue, o di desiderio, è certo che acquista la vita eterna; convien dire che quella comestione della carne e del sangue di Cristo, che non fece nella vita presente, gli verrà somministrata nella futura al punto della sua morte, e così avrà la vita in se stesso... Anche a'santi dell' antico testamento, quando Cristo discese al limbo, potè Cristo comunicare se stesso sotto la forma di pane e di vino, e così... renderli atti alla visione di Dio. (*Introd. del Vang. secondo Giov.*, lez. 74, p. 238).

XXXIII. Cum dæmones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, idest in vitam subjectivam hujus entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant.

XXXIII. (I demonii) impossessatisi di un frutto pensarono che entrerebbero nell' uomo, quand' egli, spiccatolo dall'albero, ne mangiasse; giacchè il cibo convertendosi nel corpo animato dell'uomo, essi potevano entrare a man salva nell' animalità, ossia nella vita soggettiva di questo essere, e farne quel governo che si proponevano. (*Introd. del Vang. secondo Giov.*, lez. 63, p. 191).

XXXIV. Ad præservandam B. V. Mariam a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso dæmone; e quo incorrupto semine, de generatione in generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

XXXIV. Preservò (Iddio) dal peccato originale una donzella...: alla quale preservazione dall'infezione originale bastava che rimanesse incorrotto un menomo seme dell'uomo, trascurato forse dal demonio stesso, dal quale seme incorrotto passato di generazione in generazione, uscisse a suo tempo la Vergine. (*Ivi*, lez. 64, p. 193).

XXXV. Quo magis attenditur ordo justificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis quod Deus peccata quædam tegit aut non imputat. — Juxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates quæ remittuntur et peccata quæ teguntur: illæ, ut videtur, sunt culpæ actuales et liberæ, hæc vero sunt peccata non libera eorum qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocumentum.

XXXV. Più che altri considera quest'ordine della giustificazione dell'uomo, più troverà acconcia la maniera scritturale di dire che Dio cuopre certi peccati o non gl'imputa. Infatti col battesimo non si distrugge la mala volontà naturale, ma le se n'aggiunge una soprannaturale, che cuopre, per così dire, la naturale, e impedisce che quella perda l'uomo. Onde il Salmista dice: *Beati quelli, le iniquità dei quali furono rimesse, e i peccati dei quali furono coperti*; dove si fa la differenza fra le iniquità che si rimettono, e i peccati che si cuoprono, e sembra che per quelle si vogliano intendere le colpe attuali e libere, e

per questi i peccati non liberi di quelli che appartengono al populo di Dio, e che però non ne ricevono più danno alcuno. (*Trattato della coscienza morale*, l. I, c. 6, a. 2).

XXXVI. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suæ formæ realis ; cujus communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiæ, completus in altera vita constituit lumen gloriæ.

XXXVI. L'essere (essenziale) si communica a noi nella sola forma ideale per natura, e questo costituisce *l'ordine naturale* ; l'essere stesso si manifesta a noi altresì nella pienezza della sua *forma reale* per grazia, e questa è comunicazione et percezione vera di Dio, e costituisce l'ordine soprannaturale... l'effetto della comunicazione soprannaturale è un sentimento deiforme, di cui non abbiamo a principio coscienza, come non l'abbiamo di ogni sentimento nostro sostanziale e fondamentale. Or poi il *sentimento deiforme*, di cui parliamo, è incipiente in questa vita, nella quale costituisce il lume della *fede* e della *grazia* ; compiuto nell'altra, nella quale costituisce il lume della gloria. (*Filosof. del Dritto*, Par. II, nn. 674, 676, 677).

XXXVII. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale ; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale sed subsistens ac vivens : illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam objectivitatem : at qui videt alterum (quod est Verbum), etiamsi per speculum et in ænigmate, videt Deum.

XXXVII. Il primo lume che rende l'anima intelligente è l'essere ideale e indeterminato ; l'altro primo lume è ancora l'essere, ma non puramente ideale, ma ben anche sussistente e vivente... L'idea adunque è l'essere intuito dall'uomo, ma non è il Verbo ; che non quella ma questo è sussistenza : quello è l'essere che occulta la sua sussistenza e lascia solo trasparire la sua oggettività indeterminata ed impersonale : nella mente che intuisce l'idea non cade la personalità dell'essere... ma chi vede

il Verbo, ancorchè per ispecchio ed in enimma, vede Iddio. (*Introd. alla Filosofia*, n. 85).

XXXVIII. Deus est objectum visionis beatificæ, in quantum est auctor operum *ad extra*.

XXXVIII. Sebbene Iddio senza mezzo alcuno sia oggetto della visione beatificatrice, e forma dell'intelletto dei Beati; tuttavia egli è tale in quanto è autore delle opere *ad extra*, le quali in un modo ineffabile sono in lui. (*Teodicea*, n. 672).

XXXIX. Vestigia sapientiæ ac bonitatis quæ in creaturis relucent sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in æterno exemplari collecta sunt ea Ipsius pars quæ ab illis videri possit (che è loro accessibile), ipsaque argumentum præbent laudibus, quas in æternum Deo Beati concinunt.

XXXIX. I vestigii della sapienza e della bontà del creato, lungi dal divenire loro (ai comprensori) inutili, anzi riescono necessarii; perocchè questi vestigii tutti raccolti nell' esemplare eterno sono appunto quella parte di esso che è loro accessibile, onde sono tuttavia quelli che danno argomento alle lodi che a Dio eternamente tributano. (*Ivi*, n. 674).

XL. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriæ, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare, nisi eo modo, qui finitis intelligentiis sit accommodatus : scilicet Deus se illis manifestat quatenus cum ipsis relationem habet ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

XL. Se dunque non potea (Dio) comunicare se stesso totalmente ad esseri finiti, neppure mediante il lume di gloria; rimane a cercare in che modo egli poteva rivelare loro e comunicare la propria essenza. Certo in quel modo che alla natura delle intelligenze create è conforme; e questo modo è quello pel quale Iddio ha con esso loro relazione, cioè come creatore loro, come provisore, come redentore, come santificatore. (*Ivi*, n. 677).

IOSEPH MANCINI, S. ROM. ET UNIV. INQ. *Notarius*.

EX S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONE.

DÉCISION CONCERNANT L'IRLANDE.

S. Em. le Cardinal Préfet de la Propagande a transmis à tous les Évêques d'Irlande une décision de la S. Inquisition sur ce qu'on appelle en Irlande le *plan de campagne* et le *boycottage*. Nous donnerons d'abord la lettre d'envoi et en second lieu la lettre de la S. Inquisition.

I.

Illme ac Rme Domine.

Ex Suprema S. Romanæ et Universalis Inquisitionis Congregatione editæ sunt litteræ, sub die 20 vertentis mensis Aprilis, ad singulos Hiberniæ Archiepiscopos et Episcopos transmittendæ.

Earumdem litterarum exemplar ad Amplitudinem Tuam hic inclusum transmitto; meoque officio functus, precor Deum ut te quam diutissime servet ac sospitet.

Romæ ex Æd. S. C. de Propaganda Fide die 23 Aprilis 1888.

Amplitudinis Tuæ

Addictissimus uti Frater

JOANNES CARD. SIMEONI, PRÆFECTUS.

D. ARCHIEP. TYREN, *Secretarius*.

II.

Illme ac Rme Domine,

Sæpenumero Apostolica Sedes populo Hibernensi, quem præcipua benevolentia semper prosequuta est, cum ejus res postulare videbantur, opportuna monita et consilia præbuit, quibus jura sua defendere aut vindicare, salva justitia et incolumi publica quiete posset. Nunc vero SSmus D. N. Leo XIII veritus ne, in eo belli genere, quod apud populum illum in controversias inter locatores et conductores fundorum sive prædiorum inductum est, quodque audit *The Plan de Campaign*, et in ea interdictionis forma quæ ob easdem controversias *Boycotting* nuncupatur, genuinus justitiæ et caritatis sensus in eo pervertatur, mandavit Supremæ Congregationi S. R. et U. Inquisitionis ut rem serio ac diligenti examini subjiceret. Itaque Emis Patribus Card. contra hæreticam pravitatem una mecum Generalibus Inquisitoribus, propositum fuit dubium : Utrum liceat, in controversiis inter locatores et conductores fundorum seu prædiorum in Hibernia, uti mediis vulgo appellatis *the Plan of Campaign* et *the Boycotting ?* et ab Emis Patribus re diu ac mature perpensa unanimi suffragio responsum fuit : *Negative.*

Quam profecto responsionem SSmus Pater feria IV die 18 hujus mensis probavit et confirmavit.

Hujus judicii quanta sit æquitas facile quisque perspiciet, si animadvertat locationis pensionem, quæ mutua consensione statuta sit, privata unius conductoris arbitrio imminui, salva conventionis fide, non posse; præsertim cum certa tribunalia hujusmodi controversiis dirimendis statuta sint, quæ pensiones justo majores intra æquitatis limites cohibeant et moderentur, habita etiam ratione sterilitatis vel calamitatum quæ incidere potuerint. Neque fas putandum, ut a conductoribus extorqueatur pensio et apud ignotos deponatur, locatore posthabito. Denique a naturali justitia et christiana caritate est omnino alienum, ut nova qua-

dem persecutione et interdictione sæviatur sive in eos qui contenti earum pensionum, de quibus cum dominis prædiorum convenerant, eas potius solvere parati sunt; sive in eos qui vacuos fundos, utentes jure suo, conducunt.

Quare erit Amplitudinis Tuæ, prudenter quidem, sed efficaciter de hac re tum ecclesiasticos viros, tum fideles monere, eosque exhortari, ut dum levamen afflictæ suæ fortunæ quærunt, christianam caritatem servent et justitiæ fines non transiliant. Mihi interim gratum est fausta omnia Amplitudini Tuæ a Domino adprecari.

Amplitudinis Tuæ

Romæ, die 20 Aprilis 1888.

Addictissimus in Domino

R. CARD. MONACO.

S. CONGRÉGATION DE L'INDEX.

1° Les lecteurs des journaux qui prennent la défense de l'hérésie n'encourent pas l'excommunication de la Bulle Apostolicæ Sedis.

2° Ceux qui lisent des livres, brochures, ou journaux contenant des hérésies n'encourent pas la censure de l'index.

I. Le premier des deux doutes soumis à la S. Congrégation de l'Index était le suivant : le lecteur d'un journal, où l'hérésie est soutenue, défendue, encourt-il l'excommunication fulminée par S. S. Pie IX contre les lecteurs des livres des hérétiques et des apostats?

Les auteurs étaient partagés sur cette question. Des autorités imposantes s'étaient prononcées pour l'affirmative, entre autres la *Civiltà cattolica* (1), Mgr Formisano (2), Ballerini (3), Del Vecchio (4) et Téphany (5).

A la suite d'une allocution de S. S. Pie IX (6), des auteurs

(1) Série VIII, vol. VI, pag. 648 sq.

(2) *Commentario sulla Costituzione Apostolicæ Sedis,* hoc art. pag. 33, et seq.

(3) *Compendium Theologiæ moralis P. Gury,* Tom. II, pag. 1013, not. (*a*).

(4) *Theologia moralis universa,* Tom. I, n. 569.

(5) *Constitution Apostolicæ Sedis,* n. 104.

(6) Voici les paroles de Pie IX, parlant de *La Capitale*, et des autres journaux du même genre : « Folia ista jam alias a Nobis prohibita fuerunt; et occasione ista iterum ea prohibemus, seu, ut rectius loquamur, hac de re antiquas prohibitiones confirmamus cum censuris adnexis. » *Civiltà Cattolica,* ser. IX, vol. IV, pag. 480.

qui s'étaient d'abord ralliés à l'opinion bénigne, revinrent à cette première opinion, entre autres, Bertapelle (1) et le P. Piat (2).

Cette opinion est également soutenue par Berardi, lorsque le journal est publié par un hérétique *ex secta*, par exemple, par un protestant : parce qu'alors, dit-il, l'Église regarde ces écrits comme des livres (3). Si l'auteur du journal n'est pas hérétique *ex secta*, Berardi soutient l'opinion bénigne (4).

Cette opinion était, du reste, celle de la plupart des commentateurs de la Constitution *Apostolicæ Sedis* de Pie IX. Ses principaux partisans étaient Avanzini (5), D'Annibale (6), Gabriel a Varceno (7), Ciolli (8), la *Nouvelle Revue Théologique* (9), Pennacchi (10), Conrado (11), le Commentateur de Saint-Flour (12), les PP. Konings (13), Marc (14), et

(1) *In Constitutionem Apostolicæ Sedis quæstiones et factorum species a Clero Patarino Definitæ,* n. 136*.

(2) *Commentarius in Constitutionem Apostolicæ Sedis,* pag. 23.

(3) *De recidivis et occasionariis,* Vol. II, n. 212, II° et III°.

(4) *Ibid.*, n. 213 et seq.

(5) *De Constitutione Apostolicæ Sedis,* not. (7), pag. 12 ; *Commentaria in Constitutionem Apostolicæ Sedis,* App. III, Tom. I, pag. 135.

(6) *In Constitutionem Apostolicæ Sedis Commentarii,* n. 39 ; *Summula Theologiæ moralis,* Part. III, n. 493.

(7) *Compendium Theologiæ moralis,* Tom. I, pag. 345 ; Tom. II, pag. 436.

(8) *Commentario pratico delle censure latæ sententiæ,* n. 74.

(9) Tom. II, pag. 629, n. XI.

(10) *Commentaria in Constitutionem Apostolicæ Sedis,* Additio ad Appendicem III, Tom. II, pag. 572 et seq.

(11) *Memoriale de censuris,* pag. 44.

(12) *Constitutio Apostolicæ Sedis... annotationibus explanata seu commentariis illustrata,* n. 81.

(13) *Theologia moralis S. Alphonsi in compendium redacta,* n. 1704. Qr 3°.

(14) *Institutiones morales Alphonsianæ,* n. 1315.

Lehmkulh (1), Vecchiotti (2), Godschalk (3) et Ninzatti (4).

Le motif sur lequel se basaient surtout ces auteurs, est qu'il faut interpréter les actes du Saint-Siège conformément au sens que le public attache aux termes qui y sont contenus. Or, dans l'acception commune, le mot *livre* ne s'applique nullement aux *journaux*.

C'est cette interprétation que la Congrégation du Saint-Office a consacrée par son Décret du 21 Avril 1880.

II. Le second doute concernait les lecteurs des livres ou journaux ne soutenant pas l'hérésie, mais la contenant seulement. On demandait s'ils encouraient la censure de l'Index, renouvelée et confirmée, disait-on, par Pie IX?

Il est très probable que l'auteur du doute faisait allusion aux paroles de Pie IX, que nous avons reproduites ci-dessus (5). Il s'est trompé, en donnant aux paroles de Pie IX une portée qu'elles n'avaient pas. En publiant la Constitution *Apostolicæ Sedis*, Pie IX déclara abroger toutes les censures *latæ sententiæ* qui n'y étaient pas reproduites (6). Or, les censures de l'Index n'y étaient nullement contenues; d'où on devait conclure qu'elles étaient également abrogées, et, par suite, qu'une simple allocution du Souverain Pontife ne

(1) *Theologia moralis*, Tom. II, n. 924, *Nota*.

(2) *Institutiones canonicæ*, Vol. II, App. pag. 355, not. (3), Qr 11.

(3) *Constitutio... Apostolicæ Sedis... commentariis illustrata*, hoc art. Dicitur 3, pag. 18.

(4) *Theologia moralis S. Alphonsi... logico ordine digesta, etc.*, Tom. II, n. 1717.

(5) Ci-dessus, page 251, note (6).

(6) « Ea recensione peracta, *lit-on dans sa Bulle*,... reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant. »

pouvait avoir pour effet de les faire revivre (1). Aussi la S. Congrégation de l'Index n'a-t-elle pas balancé à donner au doute une réponse négative.

Voici la lettre qui nous fait connaître le texte des deux doutes et de la réponse qui leur fut donnée.

Litteræ ad R. P. Ministrum generalem Patrum Passionistarum, quibus Secretarius exhibet resolutionem duorum dubiorum quoad legentes ephemerides aut libros hæresim propugnantes (vel continentes).

REVERENDISSIME PATER,

Per litteras a Conventu SS. Joannis et Pauli, datas die 25 Martii 1879, et a Paternitate tua Revma subsignatas, proposita fuerunt S. Congregationi Indicis, ut enodarentur, duo sequentia dubia :

I. An scienter legentes ephemerides propugnantes hæresim incurrant excommunicationem Articuli secundi Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, Summo Pontifici speciali modo reservatam?

II. An legentes sive libros proprie dictos cujusvis auctoris, sive ephemerides continentes hæresim, incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papæ IX, ut supra, renovatam et confirmatam?

Sacra Indicis Congregatio secundo dubio respondit *Negative*, seu Paternitati tuæ alias jam significatum fuit. Et quoniam primum dubium reputatum est competere Supremæ Universali Inquisitioni, exhibitum eidem fuit, ut idem enucleare dignaretur.

Sacra vero Suprema Inquisitio die 21 currentis Aprilis proposito dubio respondit : *Negative*.

Cum me de hoc certiorem redderet S. O. Assessor, onus mihi imposuit patefaciendi Reverentiæ Vestræ resolutionem ejusmodi.

Die 27 Aprilis 1880.

FR. HIERONYMUS PIUS SACCHERI,
S. Congreg. Indicis Secretarius.

(1) Nous n'avons rencontré que Bertapelle qui attribue aux paroles du Souverain Pontife la force de faire revivre les censures de l'Index. *Loc. supra cit.* — Pennacchi l'a longuement réfuté. *Loc. cit.*, pag. 537 et seq.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

I.

*Indulgences pour la récitation de l'*Ave, Maris stella.

Beatissimo Padre,

Vincenzo Leone Sallua Arcivescovo di Calcedone umilmente prostrato al bacio del S. Piede supplica la Santità Vostra affinché voglia benignamente degnarsi di concedere a tutti i fideli che con cuore contrito e divotamente reciteranno l'Inno *Ave, Maris Stella*, in onore della B. Vergine Maria, come trovasi nel Breviario Romano, l'*Indulgenza di 300 giorni*, da lucrarsi una sola volta in ciascun giorno.

Che della grazia.

Beatissime Pater,

Vincentius Leo Sallua Archiepiscopus Calcedonen. humiliter provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestræ, exorat ut benigne concedere dignetur omnibus fidelibus, qui, corde contrito ac devote recitaverint Hymnum *Ave, Maris Stella*, in honorem B. Virginis Mariæ, ceu jacet in Breviario Romano, Indulgentiam tercentum dierum, semel lucrandam in quolibet die.

Quam gratiam, etc.

Ex Audientia Sanctissimi diei 27 Januarii 1888.

Sanctissimus Dnus Noster Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia juxta preces. Præsenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 27 Januarii 1888.

CAJETANUS CARD. ALOISI MASELLA, Præfectus.

Alexander Episcopus Oensis, *Secretarius.*

II.

Indulgences pour la récitation du De Profundis.

Beatissimo Padre,

Antonio Grasselli Arcivescovo di Colossi umilmente prostrato al bacio del S. Piede, supplica la S. V. a volersi degnare di concedere una qualche Indulgenza a tutti i Fedeli ogni volta che con cuore contrito e divotamente reciteranno il Salmo *De profundis* con in fine il versetto *Requiem æternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis.*

Che della grazia.

Beatissime Pater,

Antonius Grasselli Archiep. Colossen. humiliter provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestræ, exorat ut concedere dignetur aliquam Indulgentiam fidelibus cunctis quoties corde contrito ac devote recitaverint psalmum *De profundis* cum versiculo in fine : *Requiem æternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis.*

Quam gratiam, etc.

Ex Audientia SSmi diei 2 Februarii 1888.

SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui corde saltem contrito ac devote recitaverint prædictum Psalmum cum adnexo versiculo — *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis* — benigne concessit Indulgentiam defunctis quoque applicabilem, *quinquaginta dierum* ter in die lucrandam. Præsenti valituro *in perpetuum* absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ die 3 Februarii 1888.

CAJETANUS CARD. ALOISI MASELLA, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

III.

Les Associations de NOTRE-DAME DU PERPÉTUEL-SECOURS *et de* SAINT ALPHONSE *ne jouissent pas de leurs indulgences, si elles n'ont été agrégées à l'Archiconfrérie du même nom par le Supérieur général des Rédemptoristes.*

Beatissime Pater,

Nicolaus Mauron, Congr. SSmi Redemptoris Superior Generalis et Rector Major, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humillime exponit quæ sequuntur :

Per Decretum 23 Maii 1871 Emi Cardinalis Vicarii, canonice instituta est in ecclesia Congr. nostræ ad S. Alphonsum M. de Ligorio de Urbe, Pia Unio sub titulo et invocatione B. V. Mariæ *de Perpetuo succursu* et *S. Alphonsi.* Hæc eadem Pia Unio, per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 31 Martii 1876 a Sanctitatis Vestræ Prædecessore Pio IX fel. rec. in Archisodalitatem erecta est cum omnibus et singulis juribus et facultatibus solitis et consuetis; atque ad eam regendam, ceu Moderator generalis, constitutus est Superior Generalis et Rector Major pro tempore Congr. SSmi Redemptoris.

Non raro autem accidit ut ejusdem nominis et tituli Sodalitates erigantur a Rmis locorum Ordinariis, vi facultatis illis collatæ ex speciali Apostolico Indulto erigendi Sodalitates, cum Indulgentiis, quibus in Urbe perfruuntur respectivæ Archiconfraternitates, absque ulla exhibita petitione aggregationis Sodalitatis Moderatori generali.

Id vero, uti experientia comprobat, in ejusdem Sodalitatis

bonum minime vergit. In his siquidem Sodalitatibus tali modo erectis, quæ nullo inter se vinculo conjunguntur cum Sodalitate primaria seu Archisodalitate, quæ ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum conformitas, quæ maxime confert ad incrementum devotionis erga B. Virginem Mariam, necnon majoris boni ipsorum Sodalium.

Quamobrem Orator Sanctitati Vestræ humillime supplicat quatenus benigne decernere dignetur, ut in posterum Sodalitates sub titulo et invocatione *B. V. Mariæ de Perpetuo Succursu* et *S. Alphonsi M. de Ligorio*, a Rmis Ordinariis canonice erectæ, nullimode frui possint Indulgentiis et privilegiis quibus gaudet ipsa Archisodalitas ejusdem nominis in Urbe erecta, nisi fuerint eidem Archisodalitati (prævio Rmorum Ordinariorum consensu et Litteris testimonialibus) aggregatæ per Litteras patentes a Superiore Generali et Rectore Majori Congregationis Sanctissimi Redemptoris expediendas.

Pro qua gratia.

Ex Audientia Sanctissimi diei 22 Februarii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia juxta preces, cæteris servatis de jure servandis. Præsenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ die 22 Februarii 1888.

S. CARD. VANNUTELLI, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

IV.

L'agrégation à l'Archiconfrérie Romaine est de rigueur pour la communication des Indulgences aux Confréries sub titulo B. M. Virginis a Salute, necnon S. Joseph et S. Camilli de Lellis.

Beatissime Pater,

Inter plurimas quæ vigent piæ Sodalitates in honorem B. Mariæ Virginis institutæ, ea quoque adnumeranda est quæ titnlo gaudet ejusdem B. Mariæ Virginis a Salute nuncupatæ, et S. Josephi ejusdem Sponsi, nec non S. Camilli de Lellis Confessoris. Hæc suam repetit originem a Clericis Regularibus Infirmis ministrantibus, qui eam primitus erexerunt in Ecclesia principe sui Ordinis, S. Mariæ Magdalenæ pœnitenti in hac alma Urbe dicata, quam deinde in reliquis etiam propriis Ecclesiis propagarunt. Progressu temporis supradicta Sodalitas titulum quoque Archisodalitatis assequuta est cum facultate alias sibi similes Sodalitates aggregandi, eisque communicandi Indulgentias, quibus a Romanis Pontificibus ditata est. Quamvis autem præfatum jus aggregandi nonnisi uni Supremo Moderatori Archisodalitatis tributum sit, qui ipsemet est Præpositus generalis Ordinis Clericorum Infirmis Ministrantium, attamen cum prædictarum Sodalitatum erectio ipsis etiam competat Episcopis, sæpenumero contigit, ut ob facultatem illis collatam ex speciali Apostolico Indulto erigendi Sodalitates cum Indulgentiis, quibus in Urbe perfruuntur respectivæ Archiconfraternitates, supramemoratam quoque Sodalitatem erigant absque ulla exhibita petitione aggregationis supremo Sodalitatis Moderatori.

Id vero, uti experientia comprobat, in ejusdem Sodalitatis bonum minime vergit. In his siquidem Sodalitatibus tali modo erectis, quæ nullo inter se vinculo conjunguntur cum Sodalitate primaria, quæ ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum uniformitas, quæ maxime confert ad incrementum honoris et

devotionis erga Bmam Virginem, nec non majoris spiritualis boni ipsorum Sodalium.

Hæc secum reputans Joachim Ferrini, hodiernus Vicarius generalis CC. RR. Infirmis Ministrantium, supplices admovet preces Sanctitati Vestræ, quatenus benigne decernere dignetur, ut in posterum Sodalitates sub titulo B. M. Virginis a Salute, ac S. Joseph ejus sponsi, et S. Camilli de Lellis Confessoris, canonice erectas per Revmorum Ordinariorum Decretum extra Ecclesias Ministrantium Infirmis, frui nullimode posse Indulgentiis, gratiis et privilegiis a Romanis Pontificibus Archisodalitati Romæ existenti in præfata Ecclesia concessis, nisi fuerint eidem Archisodalitati, prævio Revmorum pariter Ordinariorum consensu, aggregatæ per patentes literas ab eodem Præfecto generali eorumdem CC. RR. Ministrantium Infirmis expediendas.

Et Deus, etc.

Ex Audientia SSmi diei 17 Novembris 1887.

SSmus D. N. Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia juxta preces, servatis de jure servandis. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum ex Secretaria S. Congr. Indulg. et SS. Reliq. die 19 Novembris 1887.

CAJETANUS CARD. ALOISI MASELLA, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

CONGREGATIONIS SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

Hodiernus Redactor Kalendarii in usum Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C., de mandato Rmi Patris Præpositi Generalis ejusdem Congregationis, insequentia dubia pro opportuna solutione Sacræ Rituum Congregationi humillime subjecit, nimirum :

Dubium I. An in suffragiis Sanctorum quæ fiunt in semiduplicibus, commemoratio Sancti Fundatoris alicujus Religionis, quæ fit a Regularibus, præcedere debeat commemorationem Sancti Titularis in Ecclesia?

Dubium II. An in iisdem suffragiis quæ fiunt in Officio votivo Sanctorum Angelorum, commemoratio Sancti Michaelis Archangeli fieri debeat in iis locis ubi Sanctus Archangelus est Titularis Ecclesiæ, et, quatenus *affirmative*, quænam Oratio est dicenda?

Dubium III. An infra Octavam privilegiatam, quæ admittit Festa Duplicia primæ et secundæ classis tantum, recitari debeat nona Lectio Sancti, cujus Officium est simplex vel simplificatum?

Dubium IV. An quum Festum Patroni Principalis Civitatis vel Diœceseos pluries in anno celebratur, Regulares teneantur ad singula Officia vel ad unum tantum?

Dubium V. An ubi Ecclesia dicata est Jesu et Mariæ, faciendum est duplex Officium de Sanctissimo Nomine Jesu et de Nomine Mariæ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris voto, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative, si infra Octavam privilegiatam fiat Officium de eadem Octava vel de Dominica infra illam Octavam.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad V. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 14 Maii 1887.

D. CARD. BARTOLINIUS, S. C. PRÆFECTUS.

LAURENTIUS SALVATI, *S. C. Secretarius.*

Premier doute. — Nos lecteurs ne seront point étonnés de la réponse au premier doute. Les Réguliers doivent faire aux suffrages communs la mémoire de leur saint Fondateur (1); mais ils n'ont point à lui donner une préférence comme tel, et à la réciter avant le suffrage du Titulaire, ou tout autre suffrage. La règle est qu'on suit, dans la récitation des suffrages, l'ordre de dignité : « Commemorationes istæ, *dit De Carpo* (2), fiunt juxta ipsarum dignitatem hoc ordine : 1° De divinis personis et mysteriis. 2° De B. M. Virgine. 3° De Angelis. 4° De S. Joanne Baptista. 5° De S. Joseph Sponso B. M. Virginis. 6° De SS. Apostolis et Evangelistis. 7° De aliis.... » Souvent, par conséquent, le suffrage du Titulaire passera avant celui du Fondateur, à cause de sa dignité. Et si le Titulaire et le Fondateur sont de dignité égale, il faudra se reporter aux règles d'occurrence, et donner le premier rang à celui des deux dont la fête l'emporterait en cas d'occurrence. C'est la décision de Carpo pour les suffrages du Titulaire et du Patron, et nous la croyons applicable pour

(1) S. R. C. IN UNA CONGREG. SS. REDEMPTORIS, 7 Maii 1853, ad 1um (Gardell., n. 5185).

(2) *Kalend. perpet.*, annot. 3 in 19 Januarii

(1) Le confesseur est supposé ici avoir perdu de vue son pénitent.

(2) *De Sacram. Pœnitentiæ*, lib. V, cap. II, quæst. I, n. 10 et sq.

Leander cum proposuisset, *an, si sacerdos inadvertenter pœnitentem non absolvat, possit illum parum distantem absolvere?* Respondet : posse, si pœnitentem nequeat revocare sine scandalo, vel alio incommodo. Secundo, addit rationem, quia ad absolutionem non requiritur contactus physicus, sed satis est præsentia moralis. Tertio, superaddit satis esse ad præsentiam moralem, si sacerdos videat pœnitentem, aut alio sensu illum percipiat. Quarto affert Molfesium dicentem in dicto casu, si pœnitens sit moraliter præsens, nempe *parumper distans, etiam viginti passus,* posse a Confessario absolvi, modo ex qualitate personæ probabiliter constet pœnitentem non incidisse in novum mortale... Hæc ex Leandro, quæ tamen ita mihi placent, ut ex illis unum omnino displiceat, et alterum examini subjiciendum putem.

Primo enim displicet mihi, et forte etiam aliis, quod tertio superaddit, nimirum satis esse ad præsentiam hanc moralem, si sacerdos videat pœnitentem. Hoc valde difficile est. Numquid, si meus pœnitens post confessa peccata abeat ab extremo magnæ cujusdam ecclesiæ ad aliud extremum, quantum scilicet a meis oculis videri etiam commode posset, valide ego illum absolvam? Erit hæc præsentia moralis pro audienda concione, imo etiam pro assistentia missæ, quando templum plenum est audientibus, quia omnes faciunt unum populum, rite missæ assistentem : *at certe præsentia moralis non erit pro absolutione,* quæ majorem propinquitatem requirit, nempe illam, quæ est in Judice, non reum quomodocumque, sed ex Clemente VIII, ut diximus, reum *præsentem* condemnante vel absolvente. Ecquæ tandem est hæc? Profecto illa qua solent communi voce, etiam aliquanto altiore, homines cum hominibus loqui. Hæc enim est præsentia moralis propria hujus Sacramenti, instituti per modum judicii humani.

Secundo, examini ac sapientum judicio submitto illud de viginti passibus. Si enim distantia ejusmodi judicetur a sapientibus esse apta, ut, modo dicto homines loquantur, apta judicetur et hic; secus non item.

Ex iis quæ dicta sunt, potest solvi illa communis quæstio de eo Sacerdote qui lethaliter vulneratum in via vellet absolvere a fenestra, ob periculum ne sine absolutione moriatur vulneratus. Dico enim valide et licite posse, si *parum fenestra distet*, explicando hoc (parum distet) eo modo, quo jamjam dictum est; secus, ex se non posset. Dico *ex se* : nam hic et similes casus illud proprium habent, ut si tibi appareat fenestra *aliquanto altior* (1), ita ut dubius sis de præsentia debita, tunc, quanta potes contentione vocis, moribundum absolvas, sub conditione tamen (quæ sane conditio, si mente retineatur, sufficit), ut in similibus dubiis fieri posse diximus, animo semper iterum absolute illam cum suis debitis conditionibus, sive per se sive per alium conferendi.

Cette interprétation de la déclaration clémentine a paru si lumineuse aux théologiens postérieurs à Tamburini, qu'ils n'ont plus guère fait que la reproduire en se l'appropriant. Ainsi en retrouvons-nous le texte à peu près intégral dans le franciscain Sporer, dans Lacroix, Gobat, Elbel, Reiffenstuel, etc. Parfois cependant ces auteurs y ajoutent certaines réflexions ou emploient certains termes propres, qu'il ne sera pas inutile de noter ici.

Au doute : Quelle est la présence requise pour la validité de l'absolution? Sporer répond (2) : « Sine dubio necessaria non est præsentia omnimodo physica, ut nimirum pœnitens absolvendus proxime adgeniculetur vel assistat absolventi; sed sufficit aliqua moralis præsentia. At quænam illa? Placet regula tradita a Thoma Tamburino, etc. » Plus bas, il ajoute : « Numquid enim, si tuus pœnitens post confessionem in maximo templo abeat ad extremam partem longissime distantem, sic tamen ut adhuc eum videre possis, valide illum absolves? Etsi enim hæc præsentia in templo sufficiat

(1) C'est là le sens du mot *a longe* qu'on a lu plus haut dans S. Alphonse.
(2) *De Absolut. Sacram.*, quæst. II, n. 610.

ad audiendam Missam, in qua solum requiritur *assistentia moralis,* at certe præsentia moralis non erit pro absolutione, quæ majorem propinquitatem requirit... »

« Addunt aliqui, *dit Lacroix* (1), sufficere, si confessarius adhuc videat pœnitentem, quamvis aliquousque absit ; quamdiu enim possunt se aliquo sensu percipere, non videntur simpliciter abesse moraliter ab invicem. Hoc tamen videtur nimis extensum, nam certum est me *posse videre simpliciter absentem, neque tamen possum simpliciter absentem absolvere :* ideoque Tamburini merito dubitat, an censeatur moraliter præsens, « si ad *viginti* passus distet. »

Gobat observe, de son côté, que Bonacina « præsentiam moralem censet adesse, quamdiu aliquo sensu percipis pœnitentem, *ideoque, etsi distet viginti passibus.* » - Ipse autem Tamburini, *ajoute-t-il,* recte censet hæc nimis laxe dici, etc. »

Il y a, en ce qu'on vient de lire, quelque chose, au premier aspect, d'un peu étrange. Léandre du S.-Sacrement, Bonacina et Diana paraissent être cités comme ayant voulu étendre les limites de la présence morale, aussi loin par exemple que peut porter la vue. D'autre part, ils ajoutent *ideoque, etsi distet viginti passibus.* Or, qui jamais aura pensé à limiter de la sorte la portée de la vue humaine? Le problème s'éclaircit bien vite, quand on lit ces auteurs dans leur texte. Voici donc comment s'exprime Léandre (2).

Quæritur : An Sacerdos, si inadvertenter pœnitentem non absolvat, possit illum *parum distantem* absolvere? - Respondeo *posse,* si alias confessor nequeat pœnitentem revocare sine scandalo vel alio incommodo : quia ad absolutionem non requiritur contactus physicus, sed sufficit præsentia quædam moralis, ita ut sacerdos videat pœnitentem aut alio sensu illum percipiat. Sic

(1) *De Confessione,* n. 1201.

(2) *De Sacram. Pœnitent.,* disput. II, quæst. 30.

Ochagau, Diana, Benzon et Molfesius, per hæc verba : Est bene verum, quod si pœnitens confessus sit præsentialiter peccata sua confessario, qui, post discessum pœnitentis, dubitet an illum absolverit ; tunc confessarius cum dexteritate vocare debet pœnitentem, et suam negligentiam illi aperire. Quod si id facere nequeat sine scandalo, et pœnitens sit moraliter præsens, nempe parum distans, etiam viginti passus, et ex qualitate personæ probabiliter constet confessario pœnitentem non incidisse in novum peccatum mortale, potest tunc confessarius pœnitentem illum absolvere. At si certus sit de absentia, ut quia constaret illum discessisse ex templo, vel illum non videat, non potest illum absolvere. »

Il s'agit ici, comme on voit, d'une confession qui vient de se faire à l'église ; le pénitent sort du confessionnal avant que le prêtre lui ait donné l'absolution. Peut-il l'absoudre à distance ? Oui, répond Léandre en citant les paroles d'Ochagau ; car « sufficit præsentia quædam moralis, ita ut sacerdos videat pœnitentem aut alio sensu percipiat eum. » Evidemment, il faut sous-entendre... « illum percipiat *in templo*, » l'auteur ajoutant aussitôt après avec Molfesius : « Si pœnitens sit moraliter præsens nempe parum distans, etiam viginti passus ; » et suppose ensuite le cas où « discessit ex templo. »

Cependant les termes d'Ochagau et les « vingt pas » de Molfesius ont paru à Tamburini et autres théologiens, étendre trop les limites de la présence morale ; et de là leurs observations. Aussi Diana, que ces auteurs nomment à la suite de Léandre, parce que, comme lui, il a reproduit le sentiment d'Ochagau, ne s'est-il pas approprié tout le texte de ce dernier. Il en a précisément retranché les mots trop indéfinis : « Ita ut sacerdos videat pœnitentem, aut alio sensu percipiat eum. » Voici ses paroles (1) :

(1) Tract. IV, *De absolutione sacramentali*, Resol. XX (ailleurs Part. V, tract. XIII, resol. 56).

An qui inadvertenter non absolvit pœnitentem, possit illum absolvere parum distantem? De hoc dubio alibi dictum est, nunc vero tantum adducam opinionem Petri Ochagaviæ *de Sacrament.*, etc., ubi sic ait : « Quod si pœnitentem debite dispositum dimisit quis sine absolutione per inadvertentiam aut alia via; si posset sine gravi incommodo, deberet illum revocare et admonere. Cum vero non potest sine scandalo revocare, debet absolvi (pœnitens), si est præsens, licet aliquantum remotus, alias commoditas expectanda et admonendus. Ita Ochagavia. »

A l'endroit indiqué en commençant (1), Diana, traitant de la confession par lettres, suppose un condamné à mort, qui ne peut obtenir qu'un confesseur catholique vienne le trouver dans la prison. Il lui suggère le moyen suivant pour se réconcilier avec Dieu (2).

Patet ex superius dictis satis probabiliter in casu dicto posse reum, cui denegatum est confiteri confessario catholico, scribere ad ipsum per epistolam peccata sua, non ut in absentia absolvatur, nam hoc esset contra decretum Clementis VIII, sed ut postea, quando ipse duceretur ad patibulum, et esset præsens coram ipso confessario, tunc illum absolveret. Nam in tali casu ex necessitate, nec valens aliud agere, confitetur per scriptum et confessarius postea absolvit illum præsentem, sicuti asserunt DD. posse confessarium, postquam ex oblivione dimisit pœnitentem absque absolutione, posse illum, inquam, absolvere, dum adhuc exstare in Ecclesia videt. Itaque in nostro casu, decretum Clementis non obstat; nam pœnitens ille, videlicet reus, est non tantum corporaliter præsens, dum absolvitur, sed etiam ipsa ejus confessio, quæ per litteram fuit antea ab eo explicata, censetur adhuc esse et durare moraliter, quatenus non est revocata. Imo ego puto

(1) Tract. III, *De Sacram. Pœnitent.*, resol. LXXIV, n. 8 (ailleurs Part. XI, tract. VII, resol. 30).

(2) On sait que le cas en question s'est vérifié durant notre grande révolution et que le moyen suggéré par Diana a été employé avec succès.

in casu nostro fuisse confirmatam, non repetitam, per oculorum injectionem in confessarium, ut ad illum reus pœnitens antea scripserat.

Quant à Bonacina, que Gobat appelle « virum sane prudentem, » il est bien loin, lui aussi, d'avoir enseigné ce qu'on semble lui prêter. « Ad quid teneatur, *se demande-t-il*, confessarius qui male absolvit pœnitentem a peccatis? » Et il répond : « Non potest pœnitentem absentem iterum absolvere... Secus dicendum est, si pœnitens non sit absens. Potest enim beneficium absolutionis impendere pœnitenti qui nondum recessit a conspectu confessarii, seu qui non est ita remotus ut confessarius dubitet de ipsius præsentia. » Il peut alors l'absoudre sans qu'il soit besoin qu'il le voie encore; « etenim, *dit Gobat*, necesse nullo modo est oculis usurpare illum cui peccata dimittis. »

Elbel (1) remarque de plus : « Minime necesse est, ut pœnitens verba absolutionis audiat; multo minus, ut eadem intelligat : valet quippe absolutio, etsi sacerdos tam submisse loquatur, ut a pœnitente nequeat audiri, modo verba exterius vere proferat. Quin immo oportere etiam, ut non alta sed submissa voce proferantur, bene docet La Croix. »

Ce même théologien, d'une doctrine sûre et nullement tutioriste, pose ensuite le cas suivant : Le prêtre Sempronius, stationnant sur un pont, voit un bateau venir s'y briser. Peut-il absoudre les naufragés? Oui, répond Elbel (2), puisqu'il leur est tout proche : « Quia naufragi fuerunt Sempronio moraliter præsentes : quippe passi naufragium sub ipso ponte, cui sacerdos innitebatur. » — Mais que fera-t-il, si l'eau a déjà submergé les malheureux et qu'il n'en voie plus aucun? S'il peut croire prudemment qu'ils lui sont

(1) *De forma absolutionis*, n. 29. (2) *Loc. cit.*, n. 37.

encore présents, il les absoudra sous condition. « Tametsi nullum amplius vidisset, modo potuerit prudenter credere eos adhuc esse moraliter præsentes, ita, videlicet, ut acclamantem, licet altiori voce, intelligant aut certe intelligere possint, tuto et sancte eos absolvisse sub conditione. » — Enfin, supposé qu'il voie les naufragés déjà au loin, à une distance où communément les hommes ne peuvent plus se faire entendre ni se parler, il ne doit plus donner l'absolution : cela ne lui serait pas permis, « quia tales censentur moraliter absentes : atqui absentem in nullo casu licet absolvere, prout constare debet ex declaratione Clementis VIII. » — Cependant, répliquera-t-on, ces âmes sont dans un péril extrême, pourquoi ne pas hasarder une absolution? « Nec refert, *dit Elbel*, quod supponantur in magna necessitate et animæ periculo constituti, quandoquidem nec periculum animæ, nec necessitas eos reddit absolutionis capaces, nisi sint moraliter præsentes, quod tamen his stantibus supponi nullatenus potest. » L'objection est inspirée par une sensibilité fausse, qui ne considère qu'un côté de la question : « Convenientius fuit, *déclare Suarez*, institutionem esse stabilem et firmam, quod absolutio daretur in præsentia, et non admitti exceptiones propter raros eventus cum majori incommodo ipsius sacramenti (1). Præsertim cum ejus necessitas tanta non sit, quin possit per votum in contritione inclusum suppleri. »

(1) Que de prêtres paraissent aujourd'hui ne plus soupçonner qu'il puisse être question d'un semblable et aussi grave « incommodum sacramenti ! » Au moindre doute sur l'existence ou la validité d'un premier baptême, et sans examen préalable, ils rebaptisent sous condition. Si, armés d'une longue-vue, il leur arrivait de voir en pleine mer un navire couler à fond, ils enverraient au loin, sans plus de scrupule, les trois mots solennels : *Ego vos absolvo.* C'est sous condition, disent-ils, et puis : *Sacramenta propter homines.* N'en a-t-on pas vu, toujours en vertu du même principe, répéter, vers la fin ou en dehors de la Messe, les paroles de la consécration sur des hosties non con-

V.

Nous avons terminé; mais, avant de déposer la plume, qu'on nous permette de résumer brièvement ce qui précède.

1° Il est hors de doute, que l'absolution des péchés peut être valide, alors même qu'il est impossible au confesseur et au pénitent de se voir ou de s'entendre, surtout si la confession avait eu lieu antérieurement. Il est certain, par contre, que la présence est une condition *sine qua non* dans les cas les plus extrêmes. Donc, celle-ci ne consiste pas essentiellement dans le fait réciproque, entre confesseur et pénitent, de se voir ou de se parler.

2° Ce qui constitue la présence sacramentelle, c'est un certain rapprochement physique et corporel du confesseur et du pénitent : « propinquitas inter pœnitentem et confessorem, » dit Suarez.

3° Quand ce rapprochement n'est pas tel que l'on puisse, pour ainsi dire, se toucher, « ut scilicet absolvendus adgeniculetur vel assistat absolventi, » la présence est censée durer, tant que la distance ne dépasse pas les limites entre lesquelles les hommes, en élevant quelque peu la voix, peuvent encore se parler et s'entendre. Selon Suarez et autres, cette règle est la même pour l'absolution et pour la consécration de l'Eucharistie : « Sicut in simili quæstione de Eucharistia dictum est; illa propinquitas, quæ sufficit ad sensibilem designationem et locutionem cum alio, ad hujusmodi formam valide et efficaciter conferendam satis erit (1). »

sacrées, ou qui l'avaient été douteusement, et cela parce que des fidèles attendaient pour faire la communion?... Si besoin en était, nous oserions prier ces prêtres, évidemment dans la bonne foi, de lire et de méditer notamment ce que dit S. Augustin sur la dignité du ministre du sacrement dans son traité v *in Joannem*, n. 6, 18.

(1) *De Pœnitentia*, disput. XIX, sect. III, n. 13.

4° A la distance où les hommes peuvent communément encore s'entendre et se parler, c'est-à-dire, au sentiment des théologiens, à une vingtaine de pas environ, la présence, considérée en elle-même (1), est encore corporelle et physique. Toutefois, comme l'appréciation en est, dans les cas douteux, laissée au jugement de la sagesse et de la prudence humaine : « Morali ac prudenti judicio pensandum est (2), » on dira que dans ces cas, *moraliter loquendo*, la présence existe encore ou n'existe plus. Dans la première hypothèse, les théologiens casuistes ont accoutumé de l'appeler *présence morale*, quoiqu'il s'agisse d'une présence physique et personnelle.

5° La digne et pieuse réception du Sacrement de pénitence, ne requiert point que le pénitent entende ni même écoute la sentence qui le réconcilie avec Dieu et lui remet ses fautes. De son côté, rien n'oblige le prêtre à prononcer les paroles de l'absolution de façon à ce qu'elles arrivent aux oreilles du pénitent; il est même préférable, en principe, qu'il les énonce *submissa voce*. D'où il suit que, dans le cas qui fait l'objet de ce travail, il sera indifférent que le téléphone ou le porte-voix reçoive ou non les paroles sacramentelles. L'accusation terminée, le pénitent, avisé qu'il va être absous, pourra s'écarter de son instrument; le confesseur en fera de même et prononcera la sentence au milieu de son appartement. Or, c'est là sans nul doute un des cas visés par la déclaration Clémentine. Aussi ne saurions-nous, en finissant, ne pas rappeler les sévères paroles pontificales que voici :

(1) C'est à ce point de vue et en traitant la question au sens grammatical, que nous avons fait la distinction que semble nous reprocher M. D. W. Au reste, nous n'aimons pas non plus la confusion des mots et nous pensons avec lui qu'il vaut mieux souvent conserver une terminologie même imparfaite, dès le moment qu'elle est communément reçue.

(2) Suarez, *loc. cit.*

Si quis illam propositionem (scilicet, licere a confessario absente absolutionem obtinere) docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ quam ipso facto incurrat, et a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgenti, etiam S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis, subjaceat.

A. Eschbach.

BIBLIOGRAPHIE.

I.

THEOLOGIA MORALIS EP. ET ECCLESIÆ DOCTORIS S. ALPH. M. DE LIGORIO logico ordine digesta et sic summatim exposita, ut in singulis quæstionibus ea tantum tradatur sententia quam ipse Sanctus profitetur, et quam tuto sequi possunt confessarii, additis suis locis novissimis Romanæ Curiæ decretis, commentariis in Constitutionem *Apostolicæ Sedis*, hodiernisque civilibus legibus cum veteri Romano Jure collatis, cura et studio JOANNIS NINZATTI, Doctoris Romanæ Universitatis et SS. Canonum jamdiu Professoris. Edit. 4ª, 2 vol. n-8, 12 fr. Taurini, 1887. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

Nous avons autrefois recommandé cette Théologie, remarquable par le soin, la clarté, l'exactitude, dont l'auteur y a fait preuve (1). Le clergé l'a jugée comme nous, vu qu'en un petit nombre d'années (8 ans), l'ouvrage est parvenu à sa quatrième édition. Cela ne nous surprend pas, après les approbations si flatteuses qui figurent en tête du premier volume.

Nous n'ajouterons qu'un mot en faveur de cette édition : c'est qu'elle a sur les premières l'avantage, dans les matières si importantes touchant le septième précepte du Décalogue,

(1) Tom. XIV, pag. 437.

de reproduire, en face du droit romain, les dispositions des Codes actuellement en vigueur en Autriche, en France et en Italie.

Nous faisons donc les vœux les plus sincères pour que cette édition reçoive le meilleur accueil de la part de tout le clergé.

II.

DE JUSTITIA secundum doctrinam theologicam et principia juris recentioris, speciatim vero Neerlandici, auctore P. H. Marres, Canonico Ecclesiæ cathedralis, in Seminario Ruræmondensi S. Theologiæ Professore. Vol. in-8°, 7 fr. 50. Ruræmundæ, 1888. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

Lorsque le premier volume de cet ouvrage a paru, nous en avons rendu compte dans la *Revue*, et nous en avons fait l'éloge (1). Le second volume, que l'auteur vient de publier, contient les troisième et quatrième livres.

Le troisième livre traite des obligations qui naissent des contrats, ou que la loi attache à certains actes licites des individus. L'auteur a donc dû, en premier lieu, donner la notion exacte du contrat, sa force, les conditions requises pour sa validité, savoir : le consentement des contractants, leur capacité, la matière du contrat, sa cause, sa solennité, sa confirmation.

Il décrit ensuite les droits et obligations qui résultent des contrats, spécialement l'obligation provenant de l'inexécution du contrat; puis il traite en détail des différentes espèces d'obligations qui dérivent des contrats : obligations conditionnelles, morales, à terme, alternatives, solidaires,

(1) Tom. xii, pag. 320 (292).

divisibles ou indivisibles, avec clause pénale, ou confirmées par serment.

Vient ensuite l'interprétation des contrats, et les différentes manières qui éteignent leur obligation : la solution, la novation, la compensation, la perte de la chose due et la prescription.

Après avoir expliqué les contrats, l'auteur passe aux quasi-contrats, c'est-à-dire aux faits desquels résultent certaines obligations en vertu de la loi, savoir : de la gestion des affaires d'autrui, des obligations du gérant et du maître. Il termine par ce qui concerne la répétition de ce qui a été indûment payé.

Dans le quatrième livre, l'auteur s'occupe des contrats en particulier : de la promesse, de la donation, du dépôt, du prêt à usage ou commodat, du prêt de consommation, de la rente, de la vente, de l'échange et du change, du mandat, de la société, du cautionnement, du gage, de l'hypothèque; des contrats aléatoires, assurances, jeux, paris; enfin de la transaction, du compromis et de l'arbitrage.

Les principes qui régissent ces contrats, les règles que l'on doit y observer, les obligations qui en résultent, y sont développés avec une étonnante clarté et une grande exactitude : qualités qui assurent un succès justement mérité à cette seconde partie du traité du savant Professeur de Ruremonde.

III.

BREVE COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS, una cum aliquibus notionibus theologiæ canonicæ, liturgicæ, pastoralis et mysticæ, et philosophiæ christianæ. Auctore P. J. Berthier, M. S. — 1 vol, in-8°, 6 fr. Gratianopoli, 1887. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

— LE PRÊTRE dans le ministère des missions, des retraites et de la prédication. — LE FIDÈLE ET L'AME RELIGIEUSE éclairés sur les vérités de la foi et les devoirs de la vie chrétienne et de la vie parfaite, par le P. J. BERTHIER, Missionn. de la Salette. 1 vol. in-8°, 5 fr. Paris, Hatton. — Libr. Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

— SENTENTIÆ ET EXEMPLA BIBLICA e veteri et novo Testamento excerpta et ordinata ad usum Concionatorum, moderatorumque animarum, et præsertim juniorum clericorum, seminariorumque alumnorum a P. J. BERTHIER, Missionario Salettensi. 1 vol. in-32, 1 fr. 50. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

1° On ne peut nier l'utilité d'un bon *Compendium* de théologie : le temps de lire les ouvrages où sont développées les diverses branches des sciences ecclésiastiques, fait défaut à beaucoup de prêtres employés aux travaux du saint ministère dans les paroisses et dans les missions. Néanmoins, si le prêtre veut conserver la science sacrée, qui doit faire la règle de sa vie et de la direction qu'il imprime aux autres, il ne doit pas perdre de vue, et par suite oublier les connaissances qu'il a dû acquérir pour être admis dans la milice sainte. Ceux donc qui ne peuvent, faute de temps, s'adonner à l'étude de plus longs ouvrages, ont besoin d'entretenir leurs connaissances par une sérieuse lecture d'un abrégé assez court pour être relu souvent, assez complet pour n'omettre rien d'essentiel, et surtout assez exact pour ne pas induire en erreur le lecteur qui y a confiance.

C'est ce qu'a tenté M. Berthier, Missionnaire de la Salette, dans le *Compendium* que nous annonçons, et où il se borne à exposer clairement la doctrine dogmatique et morale, d'après les meilleurs auteurs, et les décisions les plus récentes du Saint-Siège.

A-t-il réussi? Parfaitement, non; mais jusqu'à un certain point; il pourra, du reste, dans une nouvelle édition atteindre complètement le but qu'il s'est proposé. Nous allons brièvement lui dire les améliorations, que, selon nous, il pourrait faire subir à son livre.

a) D'abord, il devrait mieux soigner la correction, lorsque surtout le changement d'une lettre attribue à l'auteur tout le contraire de ce qu'il veut dire. Nous n'en donnerons qu'un exemple. Au n. 1757, nous lisons : « Principes possunt *præscribere* idololatriam, » au lieu de *proscribere*. On trouvera une faute du même genre à la fin du n. 1309 : *opposita* pour *apposita*. Le n. 1821 porte aussi le mot *distractionem* au lieu de *detractionem*.

b) Dans plusieurs endroits, dont nous n'avons pas tenu note, l'auteur s'est borné à invoquer l'autorité de l'un ou de l'autre théologien, quand la question avait été décidée par l'une ou l'autre des Congrégations Romaines. Cela nous paraît de nature à induire en erreur la plupart des lecteurs, qui ne sauront s'ils se trouvent en présence d'une question douteuse, ou d'une décision du Saint-Siège.

c) Ce qui est plus grave, c'est que plusieurs opinions de l'auteur sont en opposition ouverte avec des décisions du Saint-Siège. Nous allons en fournir quelques exemples.

Au n. 696, l'auteur écrit : « Catholicus cum rationabili causa potest suscipere infantem hæretici, baptizante protestante, si nihil fiat ad approbandum ritum hæreticum. » La même doctrine se retrouve au n. 1753. Or le Saint-Siège a décrété le 10 Mai 1770 : « *Absolute* autem non licere nec per se, nec per alios fungi officio patrini in baptismis, qui hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur (1). »

(1) Nous avons donné le texte entier de cette décision dans notre Tome III, pag. 303, note (2).

Cette décision se conçoit : exercer les fonctions de parrain dans un baptême conféré par un hérétique à un enfant hérétique, est évidemment participer à un acte du culte hérétique ; il y a par conséquent *communicatio in divinis ;* ce que l'auteur avoue lui-même, n. 1753, n'être pas permis.

Nous savons que l'auteur peut se prévaloir de l'autorité de S. Alphonse. Mais nous ferons remarquer que les décisions du Saint-Siège n'avaient pas été publiées du vivant du Saint Docteur, qui n'aurait pas manqué de modifier le passage de sa Théologie, s'il avait eu connaissance du Décret de 1770. Aussi ses dignes enfants, qui se sont fait gloire de marcher sur ses traces, l'ont-ils abandonné sur ce point. V. les Pères Marc (1) et Aertnys (2).

Au n. 814, l'auteur permet *absolument* l'usage de calices et patènes d'aluminium, pourvu qu'ils soient dorés, tandis que la S. Congrégation des Rites a défendu à plusieurs reprises en 1865, 1866 et en 1867 l'usage de ces calices, défendant de rien innover, et renvoyant aux Rubriques (3). Or, d'après les Rubriques du Missel, le calice « debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam (4). »

Si Pie IX a autorisé l'usage des calices d'aluminium, il y a mis pour condition qu'ils fussent confectionnés conformément à l'instruction annexée à son Décret (5). Cette Instruction

(1) *Institutiones morales Alphonsianæ,* n. 433, Resp. SS. Congr. 2 ; n. 448, *Nota.*

(2) *Theologia moralis juxta doctrinam S. Alph. M. de Ligorio,* Tom. I, n. 8, Quær. 7°, R. 2°.

(3) V. Mühlbauer, *Decreta authentica Congregationis SS. Rituum,* Supplem., V° *Calix,* 6, Materia ; *Analecta Juris Pontificii,* Série XVIII, col. 983.

(4) Ritus celebrandi Missam, Titul. I, n. 1°. Cf. Can. 15, Dist. I, *De consecratione ;* Const. *Sub catholicæ* d'Innocent IV, § 10. *Bullar. Roman.* Tom. III, part. I, p. 341.

(5) V. le texte de cette concession et de cette instruction dans Mühlbauer,

détermine quelle quantité d'aluminium pur doit contenir le mélange, et dans quelles proportions la coupe doit être argentée d'abord, et puis dorée : ce qui n'est pas tout à fait la même chose que l'usage pur et simple d'un calice d'aluminium.

Ainsi que l'auteur l'a fait remarquer dans une note ajoutée à la fin de l'ouvrage, le Décret du 30 Juin 1886 de S. S. Léon XIII exige le changement des articles 997 et suivants (1).

Au n. 1281, l'auteur enseigne que « cognatio non contrahitur a patrinis... probabiliter in baptismo privato, » quoique la S. Congrégation du Concile ait décidé le contraire à maintes reprises (2), et notamment le 17 Avril 1603, le 29 Mai 1677 et le 5 mars 1678. D'où Mgr Feije donne comme certain que l'enseignement de parenté spirituelle naît d'un semblable mariage (3).

Le n. 1308, in fine, affirme que « apud Datariam error in nominibus non invalidat dispensationem, modo constet de impedimento et causa. » Cependant l'Instruction de la Propagande, du 9 Mai 1877, parmi les choses que l'on doit nécessairement exprimer, sous peine de nullité de la dispense, énumère en premier lieu *Nomen et cognomen oratorum* (4).

Au n. 1932, l'auteur nous dit : « Non est vetitum magistris docere in scholis neutralibus. » S. S. Léon XIII, dans son Encyclique du 8 Février 1884, nous assure pourtant que

loc. cit., pag. 386. — On lira aussi avec fruit la décision du 20 Mars 1875. V. *Revue*, Tome VII, pag. 365 (350); *Analecta Juris Pontificii,* Série XIV, col. 771.

(1) V. le texte de ce Décret dans notre Tome XVIII, pag. 378.

(2) V. ces différentes décisions dans les *Analecta Juris Pontificii,* avec les votes des Consulteurs, Série VIII, col. 1708 et suiv.

(3) *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus,* n. 413.

(4) V. cette Instruction dans notre Tome X, pag. 35.

l'Église a toujours condamné ces écoles (1). Comprend-on qu'il ne serait nullement défendu aux catholiques d'enseigner dans des écoles condamnables et condamnées? Ce n'est certes pas ainsi que l'entendaient les Évêques belges, qui déclaraient, dans leurs Instructions du 1er Septembre 1879, que, sauf quelques cas exceptionnels pour lesquels ils auraient besoin de dispense, les maîtres ne pouvaient exercer leurs fonctions dans ces écoles (2).

Le n. 2497 dit que les Supérieurs réguliers peuvent absoudre leurs sujets des excommunications simplement réservées au S. Pontife, pourvu qu'elles soient occultes. La S. Pénitencerie, au contraire, a expressément déclaré, le 5 Décembre 1873, qu'ils ne peuvent « suos subditos absolvere a casibus Papalibus in dicta Constitutione (*Apostolicæ Sedis* Pii PP. IX) simpliciter reservatis (3). »

A plus forte raison, ne peuvent-ils pas les absoudre des cas et censures spécialement réservés au Souverain Pontife, comme le dit néanmoins l'auteur au n. 2694. La Bulle *Apostolicæ Sedis* ne permet d'absoudre de ces censures qu'à l'article de la mort, et révoque tous les privilèges et indults accordés sur ce point, « sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis, et in quavis dignitate constitutis. »

Au n. 2506, l'auteur écrit : « Licentiam (Monialium clausuram ingrediendi) concedere potest Episcopus, vel in exemptis Prælatus regularis. »

A la vérité, le Concile de Trente ne requérait pas une

(1) Const. *Nobilissima Gallorum gens,* ubi : « Ecclesia semper scholas, quas appellant *mixtas* ael *neutras,* aperte damnavit. » V. *Revue,* Tome XVI, pag. 129, où nous rapportons cette Encyclique.

(2) V. notre Tome XI, pag. 554 (547); Tome XII, pag. 285 (260).

(3) Nous en avons publié le texte dans notre Tome VI, 61 (57).

autre permission que celle du Supérieur régulier pour pénétrer dans la clôture des religieuses soumises aux réguliers (1). Mais des actes de l'autorité pontificale intervenus depuis ont rendu nécessaire l'intervention de l'Évêque; et même elle est seule nécessaire, là où la coutume existerait de se passer de celle du Supérieur régulier. Les décrets du 13 Novembre 1620 et du 21 Mai 1630 ne laissent aucun doute à ce sujet (2), de même que les décisions de la S. Congrégation du Concile (3) et des Évêques et Réguliers (4); de sorte que Benoit XIV a pu écrire : « Ex iteratis hisce rescriptis, Pontificia quoque auctoritate, ut supra monuimus, roboratis, omnis plane aditus præclusus esse deberet disputationibus ac controversiis hac de re antiquitus suscitatis (5). »

d) A ces opinions expressément contraires à des décisions formelles, ajoutons quelques passages qui, pour être exacts, devraient être modifiés.

Aux n. 2546 et suiv., l'auteur donne comme suspenses *nemini reservatas* celles encourues par les Évêques pour un temps déterminé dans certains cas. Or, d'après le sentiment presqu'unanime des auteurs, quand, dans une loi générale, une suspense est portée pour un temps fixé, elle est, par le fait même, réservée au Souverain Pontife (6).

On lit au n. 2621 : « Ad admissionis virorum liceitatem,

(1) Sess. xxv, cap. 5, *De Regularibus et Monialibus.*

(2) Nous en avons donné le texte dans notre Tome ix, pag. 181, note 4 (179, note 6).

(3) 8 Mai 1751. *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii*, Tom. xx, pag. 62 et 64.

(4) On les trouve dans Pignatelli, *Consultationes canonicæ*, Tome vi, Cons. lxxxv, n. 229; et dans Monacelli, *Formularium legale practicum*, Part. i, titul. xi, form. xix, n. 7 seq.

(5) *De Synodo diœcesana*, Lib. xiii, cap. xii, n. 23.

(6) V. les auteurs dans notre Commentaire sur la Constitution *Apostolicæ Sedis*, pag. 314, not. 3.

requiruntur sub gravi, etiam in Congregationibus, litteræ testimoniales Episcopi originis, et loci *ubi postulans annum integrum permansit.* » Cela n'est vrai, comme porte le Décret de Pie IX, du 25 Janvier 1848, que quand le postulant a habité ce lieu pendant un an *post expletum decimum quintum annum ætatis suæ* (1).

Le n. 2623 est également incomplet : il suppose que tous les postulants peuvent prendre l'habit religieux, dès qu'ils ont accompli leur quinzième année ; tandis que les postulants *clercs* peuvent seuls être admis à cet âge, les postulants convers ne pouvant l'être qu'à vingt ans, d'après le Décret, du 17 Mars 1857, de la S. Congrégation sur l'état des Réguliers (2).

Nous remarquons une autre inexactitude dans le n. 2652, où il est dit que les apostats *a religione* encourent *ipso facto* l'excommunication. Cette peine n'est encourue, que si le religieux *temere habitum religionis suæ dimittat*, comme porte le Droit (3).

Au n. 2656, l'auteur fait une obligation aux religieux d'assister à toutes les processions, pourvu que l'Évêque leur en donne l'ordre : c'est trop général ; il y en a dont ils pourraient s'abstenir, malgré l'ordre de l'Évêque.

Le n. 2657 trouve suffisante la permission du curé, autorisant *ad breve tempus* un religieux à prêcher dans sa paroisse : doctrine opposée au Concile de Trente (4) et aux Bulles des Papes (5), si le consentement, au moins tacite, de l'Évêque n'intervient pas.

(1) N. I. Apud Bizzarri, *Collectanea in usum S. Congr. Episcoporum et Regularium,* pag. 883. (2) *Ibid.*, pag. 906.

(3) C. *Ut periculosa*, 2, *Ne clerici vel monachi, etc., in 6.*

(4) Sess. V, cap. 2, *De reformatione*, ubi : « Sine qua (Episcopi licentia) in ipsis ecclesiis non suorum Ordinum *nullo modo* prædicare possint. »

(5) Const. *Inscrutabili* de Grégoire XV, § 3. *Bullar. Rom.* Tom. V, part. V, pag. 1 ; Const. *Superna* de Clément X, § 1, *Ibid.* Tom. VII, pag. 30.

2° Le second ouvrage du R. P. Berthier nous paraît digne de recommandation : il contient des conseils et des instructions dont les prêtres qui s'adonnent spécialement aux Missions ou aux Retraites retireront beaucoup de profit et d'avantages.

3° Le troisième ouvrage du même Père ne doit pas nous faire abandonner la lecture des Livres Saints, dont S. Jérôme disait : « Divinas Scripturas sæpius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur (1). » Mais à ceux dont la mémoire laisse à désirer, il procurera cet avantage de leur donner immédiatement les textes et les exemples de l'Écriture dont ils auraient besoin ; ce qui est d'une incontestable utilité pour les prédicateurs.

IV.

DE DIRECTIONE animarum piarum et de confessario Monialium monita nonnulla, auctore ÆMILIO BERARDI parocho et examinatore pro synodali. In-8°, 0,75 cent. Faventiæ. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique) ; Paris, 66 rue Bonaparte.

Cet opuscule est le digne émule des autres ouvrages du docte curé de Faënza : c'est le fruit d'une longue expérience, qui doit servir à mettre le clergé en garde contre les dangers de la direction des âmes pieuses, et à le diriger dans cette voie si difficile.

Les avis du savant curé aux confesseurs des religieuses sont également marqués au coin de la sagesse et de la prudence. Nous ne pouvons donc qu'engager nos lecteurs à faire à cet opuscule de 18 pages l'accueil le plus bienveillant.

(1) *Epist. ad Nepotianum*, Tom. IV, part. II, col. 261, Edit. Bened.

V.

LA FAMILLE RÉGÉNÉRÉE sur le modèle de la famille de Nazareth : Jésus, Marie, Joseph, ou entretiens sur les invocations à la sainte Famille, par le R. P. MARIN, Rédemptoriste. — 1 vol. in-12, 3 fr. 50. Librairie Casterman, Tournai (Belgique) ; Paris, 66, rue Bonaparte.

Voilà un excellent ouvrage que les curés feront bien de répandre dans leurs paroisses. Rien n'est plus propre que les enseignements de l'auteur à former des familles chrétiennes et à y faire fleurir toutes les vertus qui assureront le bonheur des époux et de leurs enfants ici-bas, en même temps qu'elles leur garantiront une éternité de gloire et de félicité dans le Ciel. Nous ne croyons pas nous tromper en prédisant à cette œuvre un légitime et durable succès.

VI.

RÈGLE DU TIERS-ORDRE SÉCULIER DE S. FRANÇOIS, suivie d'une brève explication de questions sur le Tiers-Ordre et d'un catéchisme sur cette règle, etc., par un Père des FF. MINEURS CAPUCINS de la Province de Lyon. 1 vol. in-24, 0,80 cent. Lyon, 1888. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique) ; Paris, 66, rue Bonaparte.

Cet ouvrage est arrivé à sa septième édition en peu d'années, preuve qu'il répond parfaitement aux besoins des Tertiaires. Nous le recommandons instamment à tous les membres de la grande famille franciscaine, et nous ne doutons nullement que le plus brillant succès ne couronne les travaux du pieux et savant Capucin

VII.

F. LUCII FERRARIS... BIBLIOTHECA canonica, juridica, moralis, theologica, nec non ascetica, polemica, rubricistica, historica; editio novissima, mendis expurgata et novis additamentis locupletata. Tomus IV. 15 fr. — Rome, imprimerie de la Propagande. — Librairie Casterman, Tournai (Belgique); Paris, 66, rue Bonaparte.

C'est avec un vrai bonheur que nous voyons se poursuivre la nouvelle édition de Ferraris, dont nous avons eu l'occasion de parler déjà deux fois (1). Elle rendra de vrais services aux amis de la science sacrée, et nous ne saurions trop la recommander.

Aujourd'hui, nous annonçons le quatrième volume. Il s'ouvre à la lettre G et se termine par la lettre J. Signalons les matières les plus importantes du volume : *Indulgentia*, *Jubilæum*, *Irregularitas*, *Hæreticus*, *Jesu societas*, etc., etc.

En résumé, s'il faut considérer les éditions précédentes de Ferraris, l'imprimerie de la Propagande est à la moitié de son travail : elle avait huit volumes à réimprimer, et en a déjà donné quatre. L'œuvre se poursuit rapidement. Mais ce qui ajoutera le plus grand prix à la nouvelle édition, c'est ce neuvième volume qui viendra compléter Ferraris, et nous donnera, sous les mots contenus dans le corps de l'ouvrage, les décisions subséquentes du Saint-Siège, en descendant jusqu'à nos jours.

Nous engageons donc vivement ceux de nos lecteurs qui n'auraient pas Ferraris, à se procurer cette nouvelle édition, et à souscrire dès maintenant.

(1) *Nouvelle Revue Théolog.*, XVIII, p. 203; XIX, p. 220.

LETTRE DU SOUVERAIN PONTIFE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII

EPISTOLA AD EPISCOPOS BRASILIÆ.



Venerabilibus Fratribus Episcopis Brasiliæ

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

In plurimis maximisque pietatis significationibus, quas universæ fere gentes, ad gratulandum Nobis annum quinquagesimum sacerdotii feliciter plenum, exhibuerunt quotidieque exhibent, una quædam singulariter movit, a Brasilia profecta, quod nimirum, ob ejus eventus faustitatem, libero sint jure donati non pauci ex iis, qui per latissimos istiûs imperii fines sub jugo ingemunt servitutis. — Tale quidem opus, christianæ plenum misericordiæ, curantibus cum clero viris matronisque beneficis, auctori Deo et largitori bonorum omnium oblatum est, tamquam gratiarum testimonium de aucto tam benigne Nobis munere ætatis et incolumitatis. — Nobis autem fuit acceptum in primis et jucundum, eo vel magis, quod in hac Nos pergrata opinione confirmabat,

omnino velle Brasilianos servitutis immanitatem tolli penitusque extirpari. Cui quidem voluntati populari obsecundatum est eximio studio ab Imperatore pariter et a Filia augusta, itemque ab eis qui rei publicæ præsunt, certis quoque legibus in id latis et sancitis. Quantum Nobis hæc res afferret solatii, nominatim, superiore mense Januario, augusti Imperatoris apud Nos Legato declaravimus : hoc amplius adjuncto, Nosmetipsos ad Episcopos Brasiliæ, miserorum servorum caussa, litteras daturos (1).

Nos quidem ad omnes homines vice fungimur Christi, Filii Dei, qui humanum genus amore tanto complexus est, ut non modo non recusarit, natura nostra suscepta, versari nobiscum, sed et nomen adamarit Filii hominis, palam testatus, se ad consuetudinem nostram propterea accessisse *ut prædicaret captivis remissionem* (2), atque a pessima, quæ peccati est, servitute humano genere vindicato, *omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in se instauraret* (3), itemque universam Adami progeniem ex alta communis noxæ ruina in gradum pristinum dignitatis restitueret. Aptissime ad rem S. Gregorius Magnus : *Quum Redemptor noster totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, ut divinitatis suæ gratia, dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinæ nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, et jus gentium jugo substituit servitutis, in ea qua nati fuerant, manumittentis beneficio, libertate reddantur* (4). — Addecet igitur, et est plane muneris Apostolici, ea omnia foveri a Nobis impenseque provehi, unde homines tum singuli tum jure sociati habere queant præsidia ad multiplices miserias levandas, quæ, tamquam corruptæ arboris fructus, ex culpa primi parentis profluxere : ea quippe præsidia,

(1) « A l'occasion de Notre Jubilé,... Nous désirons donner au Brésil un « témoignage tout particulier de Notre paternelle affection, au sujet de « l'émancipation des esclaves. » (*Réponse à l'adresse du ministre du Brésil, de Souza-Correa*).

(2) Is. LXI, 1 ; Luc. IV, 19.

(3) Ephes. I, 10.

(4) Lib. VI, ep. 12.

quocumque in genere sunt, non modo ad cultum et humanitatem valde possunt, sed etiam apte conducunt ad eam rerum ex integro renovationem, quam Redemptor hominum Jesus Christus spectavit et voluit.

Jamvero tot inter miserias, graviter deplorandum videtur de servitute, cui pars non exigua humanæ familiæ abhinc multis sæculis est obnoxia, in squalore jacens et sordibus, idque omnino contra quam a Deo et natura erat primitus institutum. — Sic enim ille rerum conditor summus decreverat, ut homo in bestiis et agrestibus et natantibus et volucribus regium quemdam dominatum teneret, non item ut in similes sui homines dominaretur : *Rationalem factum*, ex Augustini sententia, *ad imaginem suam voluit nisi irrationabilibus dominari : non hominem homini, sed hominem pecori* (1). Quo fit ut *conditio servitutis jure intelligatur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura* (2).

Ex primi contagione peccati et cetera mala omnia et ista erupit monstrosa perversitas, ut homines fuerint, qui, memoria fraternæ ab origine conjunctionis rejecta, non jam duce natura mutuam inter se benevolentiam mutuamque observantiam colerent, sed cupiditatibus obedientes suis, homines alios infra se putare cœperint, et perinde habere ac nata jugo jumenta. Hoc modo, nulla ratione habita neque communis naturæ, neque dignitatis humanæ, neque divinæ expressæ similitudinis, consecutum est ut, per certationes et bella quæ deindè exarserunt, qui vi existerent superiores, ii victos sibi subjicerent, atque ita multitudo ejusdem generis individua sensim in duas abscesserit partes, sub victoribus dominis victa mancipia. — Cujus rei luctuosum quasi theatrum memoria priscorum temporum explicat, ad tempora usque Domini Servatoris, quum calamitas servitutis populos omnes late pervaserat, rariorque erat numerus ingenuorum, ut Cæsarem poeta ille atrociter dicentem induxerit : *Humanum*

(1) Gen. I, 26. (2) Gen. I, 25, Noe c. XXX.

paucis vivit genus (1). Idque apud eas etiam nationes viguit, quæ omni cultu expolitæ eminebant, apud Græcos, apud Romanos, quum paucorum dominatio esset in plurimos ; eaque cum improbitate et superbia tanta exercebatur, ut servorum turbæ nihil supra censerentur quam bona, non personæ sed res, omnis expertes juris, ipsa adempta facultate retinendæ fruendæque vitæ. *In potestate dominorum sunt servi, quæ quidem potestas juris gentium est : nam apud omnes peræque gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem esse, et quodcumque per servum acquiritur id dominis acquiritur* (2). — Ex hac rerum perturbatione licuit dominis servos permutare, venumdare, hereditate tradere, cædere, morti dare, iisque abuti ad licentiam diramque superstitionem : impune et in luce licuit. — Quin etiam ethnicorum qui prudentissimi ferebantur, philosophi insignes, consultissimi juris, hoc sibi aliisque, per summam communis judicii injuriam, suadere conati sunt, esse servitutem nihil aliud quam necessariam naturæ conditionem : nec enim sunt veriti profiteri, quia servorum genus generi liberorum longe multumque et virtute intelligendi et præstantia corporum cederet, oportere idcirco, servos, veluti carentia ratione et consilio instrumenta, dominorum usquequaque voluntatibus temere indigneque servire. Ejusmodi detestanda maxime tum inhumanitas tum iniquitas : qua semel accepta, nulla jam sit oppressio hominum barbara et nefanda, quæ non sese in legis quadam jurisve specie impudentissime tueatur. — Inde vero quale flagitiorum seminarium, quæ pestis et pernicies in civitates manarit, exemplorum pleni sunt libri : in animis servorum exacui odia, teneri dominos suspicione metuque perpetuo ; alios ad explendas iras parare faces, cervicibus alios instare crudelius, aliorum numero, aliorum vi civitates commoveri, levi momento dissolvi : tumultus et seditiones, direptiones et incendia, prælia cædesque misceri.

In eo dejectionis profundo mortalium plurimi laborabant.

(1) Lucan. Phars. v. 343. (2) Justinian. Inst. l. I, tit. 8, n. 1.

multoque miserius ut mersi erant superstitionum caligine; quum, maturis divino consilio temporibus, lux e cœlo admirabilis oborta est, et gratia redimentis Christi ad hominum universitatem se copiose profudit; cujus beneficio illi erecti sunt e cæno et ærumna servitutis, omnesque omnino a deterrimo peccati servitio ad præstantissimam dignitatem filiorum Dei sunt revocati et adducti. — Apostoli enimvero inde ab initio Ecclesiæ, præter alia præcepta vitæ sanctissima, hoc etiam tradidere et inculcavere, quod est non semel scriptum a Paulo ad renatos e lavacro Baptismatis : *Omnes filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu : quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (1). *Non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus* (2). *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus* (3). Aurea sane, honestissima, saluberrima documenta, quorum efficacitate non modo homidum generi decus redditur suum atque augetur, sed etiam, cujuscumque ipsi sunt loci vel linguæ vel gradus, inter se consociantur et vinculis fraternæ necessitudinis arctissime continentur. Ea vere beatissimus Paulus, qua Christi urgebatur caritate, ex ipso ejus corde hauserat, qui se fratrem singulis cunctisque hominibus perbenigne dedidit, quique de se omnes, ne uno quidem dempto aut posthabito, ita nobilitavit ut consortes adsclsceret naturæ divinæ. Ea ipsa non secus fuere ac divinitus insertæ propagines, quæ mirum in modum provenientes effloruerunt ad spem felicitatemque publicam; quum, decursu rerum et temporum, perseverante opera Ecclesiæ, societas civitatum ad similitudinem familiæ renovata coaluerit, christiana et libera.

(1) Gal., III, 26-28. (2) Coloss., III, 11.
(3) I Cor., XII, 13.

Principio enim solertissima cura Ecclesiæ in eo versata est, ut populus christianus de hac etiam magni ponderis re sinceram Christi et Apostolorum doctrinam acciperet probeque teneret. Jam nunc per Adamum novum, qui est Christus, communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere : ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturæ fines, originem, sic, supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei : omnes æquabiliter in adoptionem unius Dei et Patris accitos, quippe quos eodem ipse pretio magno una redemerit : ejusdem corporis membra omnes, omnesque ejusdem participes mensæ divinæ : omnibus gratiæ munera, omnibus item munera vitæ immortalis patere. — Hisce positis, tamquam initiis et fundamentis, contendit Ecclesia ut servilis vitæ oneribus et ignominiæ mitigationem aliquam bona mater afferret; ejus rei causa jura atque officia dominos inter servosque necessaria, prout affirmata sunt in Apostolorum epistolis, definivit valideque commendavit. — Apostolorum enim Principes ita servos quos adjunxerant Christo commonebant : *Subditi estote in omni timore, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis* (1). *Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo ; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus; scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus sive liber* (2). Idem Paulus Timotheo suo : *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur ; qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce et exhortare* (3). Tito pariter mandavit, ut doceret servos *dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus*

(1) I Petr. II, 18.
(2) Eph. VI, 5-8.
(3) I Tim. VI, 1-2.

fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus (1). — Illi vero fidei christianæ prisci discipuli optime intellexerunt, ex tali hominum fraterna in Christo æqualitate nihil admodum de obsequio, de honore, de fidelitate, de ceteris officiis, quibus ad dominos tenerentur, neque minui neque remitti ; inde autem non unum consequi bonum, ut eadem nimirum officia et certiora essent, et leviora fierent atque suavia ad exercendum, et fructuosiora ad gloriam promerendam cœlestem. Sic enim dominis reverentiam et honorem habebant tamquam iis hominibus qui auctoritate Dei, a quo omnis potestas derivatur, pollerent : non apud ipsos pœnarum metus aut consiliorum astutia et incitamenta utilitatum valebant, sed conscientia officii, vis caritatis. Vicissim ad dominos justa ab Apostolo spectabat cohortatio, ut bene factis servorum gratiam ipsi bonam rependerent : *Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas ; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum* (2) : considerarent, sicut servo haud æquum sortem dolere suam, quum *libertus sit Domini*, neque item homini libero, quum *Christi sit servus* (3), licere usquam spiritus tollere superbeque imperare. In quo erat dominis præceptum, ut suis ipsi in servis hominem agnoscerent convenienterque colerent, neque alios a se natura, et secum pares religione conservosque ad communis Domini majestatem. — Istis tam rectis legibus, maximeque factis ad partes conformandas societatis domesticæ, re ipsa paruerunt Apostoli. Insigne Pauli exemplum, ut fecit ille scripsitque benevole pro Onesimo, servo Philemonis fugitivo : quem ad eum remittit hac peramanti commendatione : *Tu autem illum ut mea viscera suscipe,... jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem et in carne et in Domino : si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc mihi imputa* (4).

Utramque agendi rationem in servos, ethnicam et christianam,

(1) Tit. II, 9-10.
(2) Ephes. VI, 9.
(3) I Cor. VII, 22.
(4) Ad Phil. 12-18.

qui conferre velit, facile dabit, fuisse alteram inclementem et flagitiosam, alteram mitissimam plenamque honestatis, neque erit commissurus, ut Ecclesiam, tantæ indulgentiæ ministram, merita laude fraudare videatur. — Id eo vel magis, quum quis diligenter advertat qua Ecclesia lenitate et prudentia fœdissimam servitutis pestem exsecuit depulitque. — Illa enim ad manumissionem libertatemque curandam servorum noluit properare, quod, nisi tumultuose et cum suo ipsorum damno reique publicæ detrimento fieri profecto non poterat; sed præcipuo consilio prospexit ut animi servorum in disciplina sua erudirentur ad veritatem christianam, et consentaneos mores cum baptismo induerent. Quamobrem, in servorum multitudine quos sibi filios adnumerabat, si qui, spe aliqua illecti libertatis, vim et seditionem essent moliti, ea vitiosa studia improbavit semper Ecclesia et compressit, adhibuitque per suos ministros remedia patientiæ. Haberent scilicet persuasum, se quidem, propter sanctæ fidei lumen atque insigne a Christo acceptum, ethnicis dominis multum dignitate antecellere, ab ipso tamen fidei Auctore et Parente religiosius adstringi, ne quid adversus eos in se admitterent, neu minimum a reverentia eis debita et obedientia discederent; se autem quum nossent regno Dei adlectos, libertate filiorum ejus potitos, ad bona non peritura vocatos, laborare ne vellent de abjectione incommodisque vitæ caducæ, sed oculis animisque ad cœlum sublatis, se ipsi consolarentur sanctoque in proposito confirmarent. Servos in primis allocutus est Petrus Apostolus quum scripsit : *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (1). — Laus tanta sollicitudinis cum moderatione conjunctæ, quæ divinam Ecclesiæ virtutem præclarius exornat, augetur etiam a fortitudine animi supra quam credibile sit invicta et excelsa, quam bene multis de servis infimis potuit ipsa indere et sustinere. Permira res, qui dominis suis

(1) I Petr. II, 19-21.

erant in exemplum morigeri eorumque gratia omnium erant laborum patientissimi, nullo ipsos pacto potuisse adduci, ut dominorum iniqua mandata mandatis Domini sanctis anteferrent, atque adeo vitam acerbissimis cruciatibus, securis animis, securo vultu, objecisse. Nomen *Potamianæ* virginis ad memoriam invictæ constantiæ ab Eusebio celebratur : quæ scilicet potius quam impudici heri indulgeret libidini, mortem non timida oppetiit, et profuso sanguine fidem Jesu Christo servavit. Similia admirari licet servorum exempla, qui, dominis libertatem sibi animorum, fidemque Deo obligatam oppugnantibus, firmissime ad necem repugnaverunt : qui vero, christiani servi, aliis de causis restiterint dominis, vel conjurationes turbasve civitatibus exitiosas concitarint, historia prodidit nullos.

Pacatis exinde rebus quietisque Ecclesiæ temporibus, apostolica documenta de fraterna inter Christianos conjunctione animorum sancti Patres admirabili exposuere sapientia, et caritate pari ad servorum utilitatem transtulerunt, hoc enisi convincere, ut jura quidem dominis in operis servorum ex honesto constarent, nequaquam vero liceret imperiosa illa potestas in capita et immanis sævitia. In Græcis præstat Chrysostomus, qui habet hunc locum sæpe tractatum, quique perlæto animo et lingua affirmavit, servitutem, ad veterem verbi notionem, jam beneficio esse sublatam, ut sine re nomen inter Domini discipulos et videretur et esset. Etenim Christus (sic ille summatim disputat), quum culpam origine contractam summa in nos miseratione detersit, sanavit idem consecutam multiplicem ad ordines societatis humanæ corruptionem; propterea que, quemadmodum mors per ipsum, terroribus positis, placida est ad beatam vitam migratio, ita sublatam esse servitutem. Christianum hominem, nisi rursus peccatis serviat, servum ne dixeris : fratres omnino, quotquot sunt in Christo Jesu renati et suscepti : a nova ista procreatione atque in Dei familiam cooptatione, non a claritate generis, ornamenta proficisci; a veritatis, non a sanguinis laude dignitatem parari; quo vero species ipsa evangelicæ *fraternitatis* ampliorem habeat fructum, opus admodum esse, vel in externa vitæ consuetudine, vicissitudinem quamdam elucere studiorum et officio-

rum libentissimam, ita ut servi eodem ferme loco ducantur quo domestici et familiares, iisque a patrefamilias non solum ea suppetant quæ sunt vitæ victusque, sed omnia etiam religiosæ institutionis præsidia. E singulari denique salutatione Pauli ad Philemonem, gratiam adprecantis et pacem *Ecclesiæ quæ in domo tua est* (1), documentum æque dominis servisque christianis optime habere statutum, quos inter communio sit fidei, inter eos communionem esse debere caritatis (2). — De Latinis merito et iure commemoramus Ambrosium; qui tam studiose in eadem causa omnes necessitudinum rationes est persecutus, tamque definite ad christianas leges utrique hominum generi propria attribuit, nemo ut aptius fecerit : cujus sententiæ nihil attinet dicere quam plene cum sententiis Chrysostomi perfecteque conveniant (3).

Erant hæc rectissime, ut patet, utiliterque præscripta; sed etiam, quod caput est, integre sancteque a priscis temporibus sunt custodita ubicumque floruit christiana professio. — Quod nisi esset, non ita Lactantius, defensor ille religionis eximius, confidenter quasi testis instaret : *Dicet aliquis : Nonne sunt apud vos alii pauperes, alii divites, alii servi, alii domini? Nonne aliquid inter singulos interest? Nihil : nec alia causa est cur nobis invicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus ; nam quum omnia humana, non corpore sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus spiritu fratres, religione conservos* (4).

Procedebant Ecclesiæ curæ in patrocinio servorum, et, nulla missa opportunitate, eo usque caute pertinebant, si tandem ii possent in libertatem dari : quod profuturum valde erat ad salu-

(1) Ad Phil. v, 2.

(2) Hom. xxix in Gen., or. in Lazar., Hom. xix in ep. i ad Cor., Hom. i in ep. ad Phil.

(3) De Abr., de Jacob, et vita beata, c. iii, de Patr. Joseph, c. iv., Exhort. virgin., c. i.

(4) Divin. Instit., l. v, c. xvi.

tem etiam sempiternam. — Bene respondisse eventus, annales sacræ antiquitatis afferunt testimonia. Nobiles ipsæ matronæ, Hieronymi laudibus spectatissimæ, huic rei juvandæ singularem operam contulerunt : referente autem Salviano, in christianis familiis, iisque non ita locupletibus, fiebat sæpenumero, ut servi manumissione munifica liberi abirent. Quin etiam eo præclarius specimen caritatis S. Clemens multo ante laudavit ; quemadmodum Christiani nonnulli sese servituti, conversis personis, subjecerint, quod servos quosdam alio pacto liberare nequissent (1). — Quare, præterquam quod servorum manumissio in templis haberi, item ut actio pietatis, cœpta est, eam Ecclesia instituit christifidelibus testamenta facientibus commendare, tamquam opus pergratum Deo magnique apud ipsum meriti et præmii : ex quo illa manumissionis heredi mandandæ concepta verba *pro amore Dei*, *pro remedio* vel *mercede animæ meæ*. Neque rei ulli, in pretium captivorum, temperatum est : donata Deo bona, divendita ; aurum et argentum sacrum, conflata ; basilicarum ornamenta et donaria, alienata : id quod Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Eligius, Patritius, alii multi et sanctissimi viri fecerunt non semel. — Vel maxime fecerunt pro servis Pontifices romani, illi vere in omni memoria et infirmiorum tutores et vindices oppressorum. S. Gregorius Magnus quam plurimos potuit ipse in libertatem asseruit, et in concilio romano an. DXCVII iis libertatem concessam voluit qui monasticam vitam agere constituissent : posse servos, invitis dominis, matrimonia libere inire Hadrianus I defendit : ab Alexandro III, an. MCLXVII, apertissime edictum est mauro Valentiæ regi, ne quem christianum hominem servitio addiceret, quod nemo natura servus, a Deo liberi omnes facti. Innocentius autem III, an. MCIIC, Ordinem *Sanctissimæ Trinitatis Christianis redimendis* qui Turcarum in potestatem incidissent, rogatu auctorum, Joannis a Matha, Felicis Valesii, probatum ratumque habuit. Similem huic Ordinem *Mariæ Sanctæ a Mercede* Honorius III posteaque Grego-

(1) I Ep. ad Cor. c. LV.

rius IX rite probavere ; quem Petrus Nolascus ea ardua lege condiderat, ut religiosi illi homines se ipsos pro Christianis in tyrannide captivis captivos devoverent, opus si esset ad redimendos. Idem Gregorius magis amplum libertatis subsidium decrevit, ut Ecclesiæ servos nefas esset permutari : idem exhortationem ad Christifideles addidit, ut pro admissorum pœnis servos suos Deo Sanctisque piaculi causa donarent. — Accedunt multa in hac re benefacta Ecclesiæ. Ipsa etenim servos ab asperis dominorum iris damnosisque injuriis, adhibita severitate pœnarum, defendere consuevit : quos violenta manus vexaret, iis perfugia pandere ædes sacras ; manumissos accipere in fidem, atque in eos animadversione continere, qui ausi malis artibus liberum hominem in servitutem redigere. Eo ipsa propensius libertati favit servorum, quos quoquo modo, pro temporibus locisque, haberet suos ; vel quum statuit ut omni servitutis vinculo ab episcopis solverentur, qui se laudabili vitæ honestate aliquamdiu probassent, vel quum episcopis facile permisit, ut sibi addictos suprema voluntate liberos dicerent. Dandum item miserationi et virtuti Ecclesiæ, quod servis remissum aliquid sit de gravitate legis civilis, quoad est impetratum, ut proposita Gregorii Magni temperamenta, in scriptum jus civitatum recepta, valerent : id autem factum, Carolo Magno præsertim agente, qui ea in *Capitularia* sua, quemadmodum postea Gratianus in *Decretum*, induxit. Monumenta denique, leges, instituta, continuo ætatum ordine, docent et declarant magnifice summam Ecclesiæ caritatem in servos, quorum conditionem afflictam nullo tempore vacuam tutela reliquit, omni semper ope allevavit. — Itaque Ecclesiæ catholicæ, amplissimo Christi Redemptoris beneficio, expultrici servitutis, veræque inter homines libertatis, fraternitatis, æqualitatis effectrici, satis numquam, proinde ac de prosperitate gentium merita est, haberi potest vel laudis vel gratiæ.

Sæculo inclinante quinto decimo, quo tempore, funesta servitutis labe apud gentes christianas prope deleta, sese civitates in libertate evangelica stabilire atque etiam latius proferre imperium studebant, hæc Apostolica Sedes diligentissime cavit, necubi mala ejusdem pravitatis germina reviviscerent. Ad regiones

igitur nove repertas Africæ, Asiæ, Americæ, vigilem providentiam intendit : fama enim manaverat, earum duces expeditionum, homines christianos, armis ingenioque minus recte uti, ad struendam imponendamque innoxiis nationibus servitutem. Cruda scilicet natura soli, quod erat subigendum, neque minus metallorum opes explorandæ effodiendæ, quum operas bene validas postularent, injusta plane suscepta sunt atque inhumana consilia. Fieri enim cœpta est quædam mercatura, servis ad id opus ex Æthiopia deportandis, quæ, nominata deinceps *la tratta dei Negri*, nimium quantum eas occupavit colonias. Secuta quoque est, non absimili injuria, indigenarum hominum (qui universe *Indi* appellati) ad modum servitutis oppressio. — His de rebus ubi Pius II certior est factus, mora nulla interposita, die VII oct. an. MCCCCLXII, epistolam dedit ad episcopum Rubicensem, qua tantam improbitatem redarguit et damnavit. Aliquo post tempore, Leo X quantum potuit officiorum et auctoritatis apud reges et Lusitaniæ et Hispaniarum adhibuit, qui eam licentiam, religioni pariter atque humanitati justitiæque probrosam, radicitus excidendam curarent. Nihilominus ea calamitas confirmata hærebat, manente impura causa, inexplebili habendi cupiditate. Tum Paulus III, de conditione Indorum servorumque maurorum paterna caritate anxius, ad hoc venit extremum consilii, ut solemni decreto, in luce quasi conspectuque omnium gentium, pronuntiaret, triplicis modi potestatem illis deberi universis justam et propriam ; posse nimirum sui quemque esse juris, posse consociatos suis legibus vivere, posse rem sibi facere et habere. Hoc amplius, litteris missis ad Card. Archiepiscopum Toletanum, qui fecissent contra idem decretum, in eos statuit interdictionem sacrorum, integra romano Pontifici reconciliandi facultate (1). Eadem providentia eademque constantia, Indis atque Mauris, iisque vel nondum christiana fide instructis, alii subinde Pontifices sese assertores libertatis acerrimos præstitere, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, qui præterea in principum Europæ fœderatorum Vindobonensi con-

(1) *Veritas ipsa*, 2 Jun. 1559.

ventu, communia consilia huc etiam advertit, ut ea Nigritarum distractio, quam diximus, multis jam desueta locis, funditus convelleretur. Etiam Gregorius XVI negligentes humanitatis et legum gravissime admonuit, idemque Apostolicæ Sedis decreta statutasque pœnas revocavit, et rationem nullam prætermisit ut externæ quoque nationes, europearum secutæ mansuetudinem, a dedecore et feritate servitutis abstinerent, abhorrerent (1). Opportunissime vero Nobis accidit, ut sua summos principes rerumque publicarum moderatores gratulatione prosequamur, quibus perseveranter instantibus, querimoniis diuturnis æquissimisque naturæ et religionis jam satis est factum.

In re tamen persimili residet Nobis in animo alia quædam cura quæ non mediocriter angit, et Nostram urget sollicitudinem. Quippe tam turpis hominum mercatura ea quidem mari fieri desiit, terra vero nimis multum nimisque barbare exercetur; idque maxime in nonnullis Africæ partibus. Hoc enim perverse a Mahometanis posito, hominem Æthiopem adsimilisve nationis vix aliquo numero supra esse belluam, videre licet et horrere perfidiam hominum atque immanitatem. Ex improviso in Æthiopum tribus tale nihil metuentes more irruunt impetuque prædonum; in pagos, in villas, in mapalia incursant; omnia vastant, populantur, diripiunt; viros perinde et feminas et pueros, facile captos vinctosque abducunt, ut per vim ad nundinas trahant flagitiosissimas. — Ex Ægypto, ex Zanzibar, partim quoque ex Sudan, quasi e stationibus, illæ detestabiles expeditiones deduci solent; per longa itinera pergere viri constricti catenis, tenuissimo victu, sub crebra verberum cæde; ad hæc ferenda imbecilliores necari; qui satis salvi, gregatim cum reliqua turba ire venum, atque emptori prostare moroso et impudenti. Cui vero quisque venditus et permissus sit, discidio miserabili qua uxorum, qua liberorum, qua parentum, illius in potestate ad servitutem adigitur maxime duram et fere nefandam, neque ipsa recusare potest sacra Mahometi. Hæc Nos, summa animi ægritudine, a

(1) *In supremo Apostolatus fastigio*, 3 Dec. 1837.

quibusdam non ita ante accepimus, qui coram nec sine lacrymis ejusmodi infamiam et deformitatem spectaverunt, cum iis autem plane cohærent quæ a nuperis Africæ æquinoctialis exploratoribus sunt narrata.

Quin etiam istorum ex testimonio et fide compertum apparet, ad quater centena millia sic homines afros vendi solitos, pecorum instar, quotannis; quorum dimidiam circiter partem de viis asperrimis languidos concidere ibique interire; ut, sane ad dicendum quam triste, velut factam ex residuis ossibus semitam ea loca peragrantes dispiciant. — Quis non tantarum miseriarum cogitatione moveatur? Nos equidem qui personam gerimus Christi, amantissimi omnium sospitatoris et Redemptoris, quique adeo lætamur de plurimis gloriosisque Ecclesiæ promeritis in omne genus ærumnosos, vix possumus eloqui quanta miseratione erga illas afficimur infelicissimas gentes, quanta charitatis amplitudine ad eas pandimus brachia, quam vehementer cupimus omnia ipsis posse allevamenta et subsidia impertire, eo proposito ut, simul cum servitute hominum servitute superstitionis excussa, uni veroque Deo, sub Christi suavissimo jugo, possint tandem servire, divinæ hereditatis nobiscum participes. Utinam omnes, quicumque imperio et potestate antecedunt, vel jura gentium et humanitatis sancta esse volunt, vel religionis catholicæ incrementis ex animo student, ubique omnes, hortantibus rogantibus Nobis, ad ejusmodi mercaturam, qua nulla inhonesta magis et scelerata, comprimendam, prohibendam, extinguendam enixe conspirent. — Interea, dum acriore ingeniorum et operum cursu nova itinera ad africas terras, nova commercia instruuntur, contendant viri apostolici, ut, quoad melius fieri possit, sit saluti servorum libertatique consultum. Huc ipsi alio præsidio nullo reapse proficient, nisi, divina gratia roborati, toti sint in disseminanda fide nostra sanctissima eaque laboriosius in dies alenda; cujus est fructus insignis ut libertatem mire conciliet ac pariat *qua Christus nos liberavit* (1). Itaque, tamquam in specu-

(1) Galat., IV, 31.

lum virtutis apostolicæ, inspiciant monemus in vitam et facta *Petri Claver,* cui recentem gloriæ lauream addidimus : in eum inspiciant, qui, summa laborum constantia, annos continenter quadraginta, maurorum gregibus servorum miserrimis sese totum impendit, vere ipsorum Apostolus prædicandus quibus se perpetuum servum et profitebatur et dabat. Caritatem viri, patientiam si curæ habeant sumere sibi et referre, ii profecto digni existent administri salutis, auctoresc onsolationis, nuntii pacis, qui solitudinem, incultum, feritatem in ubertatem possint religionis cultusque lætissimam, Deo juvante, convertere.

Jamque in vobis, Venerabiles Fratres, cogitatio et litteræ Nostræ gestiunt conquiescere, ut vobis iterum significemus iterumque vobiscum sociemus singulare quod capimus gaudium, ob ea quæ isto in Imperio publice inita sunt de servitute consilia. Siquidem per leges quum provisum cautumque sit, ut, quotquot sunt adhuc de conditione servili, in ordinem et jura liberorum debeant admitti, id Nobis ut bonum et faustum et salutare per se videtur, sic etiam spem firmat fovetque ad actus rei civilis reiqne sacræ in futurum lætandos. Ita Brasilici nomen imperii apud humanissimas quasque gentes erit merito in commemoratione et in laudibus, nomenque simul florebit Imperatoris augusti ; cujus ea fertur præclara vòx, nihil se habere optatius, quam ut omne in finibus suis servitutis vestigium celeriter deleatur. — At vero, dum ea ipsa legum jussa perficiuntur, incumbite alacres, omni ope rogamus, et operam providentissime date præsenti rei, quam difficultates impediunt profecto non leves. Omnino per vos efficiendum, ut domini et servi optimis inter se animis congruant optimaque fide, neu quidquam de clementia aut de justitia decedant, sed, quæcumque transigenda sunt, omnia legitime, sedate, christiano modo transigant : quod enim exoptabant omnes, tolli et deleri servitutem, hoc prospere cedat optandum maxime est, nullo divini vel humani juris incommodo, nulla civitatis perturbatione, atque adeo cum solida ipsorum, quorum agitur causa, utilitate servorum. — Quibus singulatim, sive qui jam facti liberi sunt, sive qui fient propediem, monita nonnulla salutis, e sententiis delibata magni gentium Apostoli, pastorali

cum studio animoque paterno commendamus. Ergo illi memoriam et voluntatem gratam pie ad eos servare diligenterque profiteri studeant, quorum consilio operaque in libertatem vindicati sunt. Tanto se munere numquam præbeant indignos, nec umquam libertatem cum licentia cupiditatum permisceant; ea vero utantur quo modo cives decet bene moratos, ad industriam vitæ actuosæ, ad commoda et ornamenta quum familiæ tum civitatis. Vereri et colere majestatem principum, parere magistratibus, legibus obtemperare, hæc officia et similia, non tam metu adducti quam religione, assidue exsequantur : etiam cohibeant arceantque alienæ copiæ et præstantiæ invidiam, quæ dolendum quam multos ex tenuioribus quotidie torqueat et quam multa ministret nequitiæ plena instrumenta adversus ordinum securitatem et pacem. Re sua et statu contenti, nihil carius cogitent, nihil appetant cupidius quam bona regni cœlestis, quorum gratia in lucem editi sunt et a Christo redempti : de Deo eodemque Domino ac Liberatore suo cum pietate sentiant, eum totis viribus diligant, ejus mandata omni cura custodiant. Sponsæ ejus, Ecclesiæ sanctæ, se filios esse gaudeant, esse optimos laborent, et quam possint amoris vicem sedulo reddant.

Hæc eadem documenta vos item, Venerabiles Fratres, ipsis suadere et persuadere libertis insistite; ut, quod summum est Nobis votum idemque vobis bonisque omnibus esse debet, partæ libertatis fructus religio in primis, quacumque istud patet Imperium, amplissimos habeat, ad perpetuitatem persentiat.

Id autem quo succedat felicius, cumulatissimam a Deo gratiam opemque maternam Immaculatæ Virginis imploramus et exposcimus. Cœlestium munerum auspicem paternæque Nostræ benevolentiæ testem, vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque universo Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die V Maii an. MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

LETTRE ENCYCLIQUE
DU SOUVERAIN PONTIFE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIII

LITTERÆ ENCYCLICÆ.

DE LIBERTATE HUMANA.



Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica sede habentibus.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Libertas, præstantissimum naturæ bonum, idemque intelligentia aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini dignitatem ut sit *in manu consilii sui*, obtineatque actionum suarum potestatem. — Verumtamen ejusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur. Sane integrum est homini parere rationi, morale bonum sequi, ad summum finem suum recta contendere. Sed idem potest ad omnia alia

deflectere, fallacesque bonorum imagines persecutus, ordinem debitum perturbare, et in interitum ruere voluntarium. — Liberator humani generis Jesus Christus, restituta atque aucta naturæ dignitate pristina, plurimum ipsam juvit hominis voluntatem; eamque hinc adjunctis gratiæ suæ præsidiis, illinc sempiterna in cœlis felicitate proposita, ad meliora erexit. Similique ratione de hoc tam excellenti naturæ bono et merita est et constanter merebitur Ecclesia catholica, propterea quod ejus est, parta nobis per Jesum Christum beneficia in omnem sæculorum ætatem propagåre. — Nihilominus complures numerantur, qui obesse Ecclesiam humanæ libertati putent. Cujus rei caussa in perverso quodam præposteroque residet de ipsa libertate judicio. Hanc enim vel in ipsa sui intelligentia adulterant, vel plus æquo opinione dilatant, ita ut pertinere ad res sane multas contendant, in quibus, si recte dijudicari velit, liber esse homo non potest.

Alias Nos, nominatimque in Litteris encyclicicis *Immortale Dei*, de *modernis*, uti loquuntur, *libertatibus* verba fecimus, id quod honestum est secernentes ab eo quod contra : simul demonstravimus, quidquid iis libertatibus continetur boni, id tam esse vetus, quam est veritas : illudque semper Ecclesiam libentissime probare et re usuque recipere solitam. Id quod accessit novi, si verum quæritur, in parte quadam inquinatiore consistit, quam turbulenta tempora ac rerum novarum libido nimia peperere. — Sed quoniam sunt plures in hac opinione pertinaces, ut eas libertates, in eo etiam quod continent vitii, summum ætatis nostræ decus et constituendarum civitatum fundamentum necessarium putent, ita ut, sublatis iis, perfectam gubernationem reipublicæ cogitari posse negent, idcirco videtur, publica Nobismetipsis utilitate proposita, ejusmodi argumentum pertractari separatim oportere.

Libertatem *moralem* recta persequimur, sive in personis ea singulis, sive in civitate spectetur. — Principio tamen juvat aliquid de libertate *naturali* breviter dicere, quia quamquam a morali omnino distinguitur, fons tamen atque principium est, unde

genus omne libertatis sua vi suaque sponte nascitur. Hanc quidem omnium judicium sensusque communis, quæ certissima naturæ vox est, in iis solum agnoscit, qui sint intelligentiæ vel rationis compotes, in eaque ipsa caussam inesse apparet, cur auctor eorum, quæ ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem : nam quando ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturæ impulsu acquirunt quæ sibi prosint, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitæ factis rationem habet ducem. Ratio autem, quæcumque habentur in terris bona, omnia et singula posse judicat esse, et æque posse non esse ; et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat, quod lubeat. — Sed *de contingentia,* ut appellant, eorum bonorum, quæ diximus, ob hanc caussam judicare homo potest, quod animum habet natura simplicem, spiritualem cogitationisque participem : qui idcirco quod est ejusmodi, non a rebus corporeis ducit originem, neque pendet ex eis in conservatione sui ; sed, nulla re intercedente, ingeneratus a Deo, communemque corporum conditionem longo intervallo transgrediens, suum et proprium habet vivendi genus, suum agendi : quo fit ut, immutabilibus ac necessariis veri bonique rationibus judicio comprehensis, bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretione mortali eosdemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.

Jamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius prædicat, nec constantius asserit Ecclesia catholica, quæ scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma. Neque id solum : sed contra dicentibus hæreticis novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis Ecclesia suscepit, hominisque tam grande bonum ab interitu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta testantur, insanos Manichæorum aliorumque conatus quanta contentione repulerit ; recentiori autem ætate nemo est nescius quanto studio quantaque vi tum in Concilio Tridentino,

tum postea adversus Jansenii sectatores, pro libero hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco *fatalismum* passa consistere.

Libertas itaque, ut diximus, eorum est, qui rationis aut intelligentiæ sunt participes, propria : eademque, si natura ejus consideretur, nihil est aliud nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus. — Jamvero quia omne, quod rei cujuspiam adipiscendæ caussa assumitur, rationem habet boni, quod utile dicitur : bonum autem hoc habet natura, ut proprie appetitionem moveat, idcirco liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem. Sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quædam præluxerit : videlicet bonum, voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis quod in omnibus voluntatibus delectum semper judicatio præit de veritate bonorum, et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui judicare, rationis esse, non voluntatis, nemo sapiens dubitat. Libertas igitur si in voluntate inest, quæ natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. — Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac sæpe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut ægritudo vitæ, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque caussam Deus infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpæ velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati

cælites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, jam Deus, Jesus Christus, Angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa sæpe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini (1), qui facit peccatum servus est peccati : « *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur : quod est libertatis ; quando vero peccat, operatur præter rationem et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis : et ideo* « qui facit peccatum servus est peccati. » — Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii præcipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem : sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute vivere didicisset.

Quoniam igitur talis est in homine conditio libertatis, aptis erat adjumentis præsidiisque munienda, quæ cunctos ejus motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent : secus multum homini libertas nocuisset arbitrii. — Ac primo quidem *lex*, hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit necessaria ; quæ quidem proprie nulla esse in animantibus potest, qui necessitate agunt, propterea quod quidquid agant, naturæ agunt impulsu, nec alium ullum sequi ex se possunt in agendo modum. Verum eorum, qui libertate fruuntur, ideo in potestate est agere, non agere, ita vel secus agere, quia tum, quod volunt, eligunt, cum antecessit illud quod diximus rationis judicium. Quo quidem

(1) Joan. VIII, 34.

judicio non modo statuitur quod honestum natura sit, quid turpe, sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum : ratio nimirum voluntati præscribit quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit, cujus caussa sunt omnia facienda. Jamvero hæc *ordinatio rationis* lex nominatur. — Quamobrem cur homini lex necessaria sit, in ipso ejus libero arbitrio, scilicet in hoc, nostræ ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa, tanquam in radice, quærenda. Nihilque tam perversum præposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem : quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohærere cum ratione : cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eum demque præmiis pœnisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. — Talis est princeps omnium *lex naturalis*, quæ scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans. Ista vero humanæ rationis præscriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et jura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura, item pœnis præmiisque imperata sanciendi; quæ quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturæ lex sit ipsa *lex æterna*, insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem*, eaque est ipsa æterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quædam præsidia, Dei beneficio, adjuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinæ virtus *gratiæ;* quæ cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper

impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativæ libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios : nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinæ vis gratiæ, quia ab ipso et animi et voluntatis nostræ auctore manat, a quo res omnes convenienter naturæ suæ moventur. Immo gratia divina, ut monet Angelicus Doctor, ob hanc caussam quod a naturæ opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.

Quæ vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate conjunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliæ in eo versantur quod est bonum malumve natura, atque alterum sequi præcipiunt, alterum fugere, adjuncta sanctione debita. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturæ conveniens, nec malum naturæ dissentaneum : sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali ac propterea a lege æterna repetenda. Juris igitur naturalis præcepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanæ, sed præcipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturæ et a lege æterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxæque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis præscripta non ex naturali jure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre operma cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura jubet : quantum operæ, quo pacto, quibus in rebus, non natura sed hominum sapientia con stituitur. Jamvero

peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quæ quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare jubet, deflectere prohibet : eademque quatenus pedisequa et consentiens est præscriptionibus naturæ, ducit ad ea quæ honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in æterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et conjunctionis humanæ. — Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis æternæ præscripta vivere. Eorum vero qui præsunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicæ pernicie conjunctum, sed humanarum vis legum hæc debet esse, ut ab æterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi juris, contineatur. Sapientissime Augustinus (1) : *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali (lege) nihil esse justum atque legitimum quod non ex hac æterna (lege) sibi homines derivarint.* Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectæ rationis dissideat, sitque reipublicæ perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula justitiæ esset, et homines a bono cui nata societas est, abduceret.

Natura igitur libertatis humanæ, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summæ cuidam æternæque rationi, quæ nihil est aliud nisi auctoritas jubentis, vetantis Dei. Atque hoc justissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est

(1) *De Lib. Arb.*, lib. I, cap. 6, n. 15.

vera perfectio : supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est.

Hæc verissimæ altissimæque præcepta doctrinæ, vel solo nobis lumine rationis cognita, Ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Auctoris sui erudita passim propagavit, asseruit : quibus ipsis et munus suum metiri, et christianas informare gentes nunquam destitit. In genere morum leges evangelicæ non solum omni ethnicorum sapientiæ longissime præstant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus sanctitatem, effectumque propiorem Deo simul efficiunt perfectioris compotem libertatis. — Ita semper permagna vis Ecclesiæ apparuit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Ejus in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare, servitutem, vetus illud ethnicarum gentium dedecus, opera maxime beneficioque Ecclesiæ deletam. Æquabilitatem juris, veramque inter homines germanitatem primus omnium Jesus Christus asseruit : cui Apostolorum suorum resonuit vox, non esse Judæum, neque Græcum, neque barbarum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita Ecclesiæ virtus, ut quibuscumque in oris vestigium ponat, exploratum sit, agrestes mores permanere diu non posse, sed immanitati mansuetudinem, barbariæ tenebris lumen veritatis brevi successurum. Item populos civili urbanitate excultos magnis afficere beneficiis nullo tempore Ecclesia desiit, vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium et tenuiorum injuriis, vel demum opera danda ut rerum publicarum ea constitutio valeret, quam cives propter æquitatem adamarent, externi propter potentiam metuerent.

Præterea verissimum officium est vereri auctoritatem, justisque legibus obedienter subesse : quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab injuria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit :* quo modo multum obedientia adipiscitur nobilitatis, cum justissimæ altissimæque auctoritati adhibeatur. — Verum ubi imperandi jus abest, vel si quidquam præcipiatur rationi, legi æternæ,

imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic præcluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus : sua sunt salva jura singulis civibus, sua societati domesticæ, cunctisque reipublicæ membris, data omnibus veræ copia libertatis, quæ in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere.

Quod si cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque intelligerent, qualem modo ratio oratioque descripsit, exagitare Ecclesiam nemo auderet propter illud quod per summam injuriam ferunt, vel singulorum libertati, vel liberæ reipublicæ esse inimicam. — Sed jam permulti Luciferum imitati, cujus est illa nefaria vox *non serviam,* libertatis nomine absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam. Cujusmodi sunt ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.

Revera quo spectant in philosophia *Naturalistæ,* seu *Rationalistæ,* eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitæ deducunt. — Jamvero totius *rationalismi* humanæ principatus rationis caput est : quæ obedientiam divinæ æternæque rationi debitam recusans, suique se juris esse decernens, ipsa sola efficitur summum principium et fons et judex veritatis. Ita illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores in actione vitæ nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem : unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quæ sub specie libertatis ab observantia divinorum præceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare. — Quæ omnia in hominum præsertim societate quo tandem evadant, facile est pervidere. Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quærendam : potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, præ-

tereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos : partemque populi majorem universi juris esse officiique effectricem. — Sed hæc cum ratione pugnare, ex eis quæ dicta sunt apparet. Nullum siquidem velle homini aut societati civili cum Deo creatore ac proinde supremo omnium legislatore intercedere vinclum, omnino naturæ repugnat, nec naturæ hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum : quia res omnes effectas cum caussa, a qua effectæ sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est : omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius est, id quod est inferius subjiciatur et pareat. — Sed præterea est hujusmodi doctrina tum privatis hominibus tum civitatibus maxime perniciosa. Sane rejecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen : turpia ab honestis non re, sed opinione judicioque singulorum differunt : quod libeat, idem licebit ; constitutaque morum disciplina, cujus ab coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitæ corruptelam aditus. In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis : lex de iis quæ facienda fugiendave sunt statuens, majoris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem, rerumque omnium quæ ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiæ sublatis, nihil præter vim relinquitur ; quæ tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *socialistas*, aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. — Statuant igitur ac definiant rerum

æqui æstimatores, tales doctrinæ proficiantne ad veram dignamque homine libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere, easdemque malorum maximorum caussas esse vidimus, non omnes *Liberalismi* fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate justitiaque posthabita : quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, juri naturali sempiternæque legi divinæ subjectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere Deus velit, alia præter rationem naturalem via. — Id cum dicunt sibi minime cohærent. Etenim si est, quod ipsi consentiunt nec dissentire potest jure quisquam, si est Dei legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei et ad Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati ejus legiferæ fines modumve præscribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, ut, quæ et quanta sint tum Deo jura, tum sibi officia, velit ipsa decernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium ejus valebit præ auctoritate ac providentia Dei. — Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege æterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex æterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adjungunt ad naturale jus : eædemque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. Sit igitur sancte inviolateque conjunctum, quod nec dijungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa

naturalis ratio præcipit, obnoxie Deo obedienterque serviatur.

Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis : in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiæque rationes dissociari oportere. — Sed hæc quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis justitiæque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo præsunt, hoc omnino rei publicæ debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quæ Deum habeant auctorem : ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a præscriptione naturæ politicam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimæque voluntati Dei aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et hujusmodi concordiam non inepte similem conjunctioni dixere, quæ animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis : quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vitam extinguit.

Quæ quo melius appareant, varia libertatis incrementa, quæ

nostræ quæsita ætati feruntur, separatim considerari oportet. — Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate*, uti loquuntur, *cultus*. Quæ hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sinere ligione posse : virtus enim moralis est, cujus officia versantur in iis quæ ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum ; ideoque religio quæ *operatur ea, quœ directe et immediate ordinantur in honorem divinum* (1), cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quæratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus jusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summæ errorem ruinæ essent consecuturæ. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, hæc homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat : quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abjecti in peccatum animi servitus.

Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit : nullum anteferri alteri, sed æquo jure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quæ ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla

(1) S. Th. 2-2, q. LXXXI, a. 6.

esse, aut impune solvi posse : quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines conjuncta societas, sive partes, sive forma ejus spectetur quæ est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in cœtu sui similium collocavit, ut quod natura ejus desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque ejus potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quæ unice vera est, quæque non difficulter, præsertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitæ notæ veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est : et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad hujus, quæ in terris degitur, vitæ prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit : quo perveniri non potest religione neglecta.

Sed hæc alias uberius exposuimus : in præsentia id animadverti tantum volumus, istiusmodi libertatem valde obesse veræ cum eorum qui regunt, tum qui reguntur, libertati. Prodest autem mirifice religio, quippe quæ primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque principes jubet, officiorum suorum esse memores, nihil injuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo præesse. Eadem potestati legitimæ cives vult esse subjectos, ut Dei ministris; eosque cum rectoribus reipublicæ non obedientia solum, sed verecundia et amore conjungit, interdictis seditionibus, cunctisque incæptis quæ ordinem tran-

quillitatemque publicam perturbare queant, quæque tandem caussam afferunt cur majoribus frenis libertas civium constringatur. Prætermittimus quantum religio bonis moribus conducat, et quantum libertati mores boni. Nam ratio ostendit, et historia confirmat, quo sint melius moratæ, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.

Jam aliquid consideretur de *libertate loquendi,* formisque litterarum quodcumque libeat exprimendi. Hujus profecto non modice temperatæ, sed modum et finem transeuntis, libertatis jus esse non posse, vix attinet dicere. Est enim jus facultas moralis, quam, ut diximus sæpiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam. Quæ vera, quæ honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari jus est, ut ad quamplures pertineant; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior pestis, item vitia quæ animum moresque corrumpunt, æquum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicæ queant. Peccata licentis ingenii, quæ sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitæ, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus injurias. Eo magis quod civium pars longe maxima præstigias cavere captionesque dialecticas, præsertim quæ blandiantur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum : ne illis quidem parcetur maximis verissimisque naturæ judiciis, quæ habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod sæpe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas : eo enim est major futura libertas ac tutior, quo frena licentiæ majora. — At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura : talis enim libertas nunquam homines

ad opprimendam veritatem, sæpe ad indagandam ac patefaciendam deducit.

De ea, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione judicare. — Cum dubium esse non possit quin imbuere animos sola veritas debeat, quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio sita, propterea non debet doctrina nisi vera præcipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. Ob eamque caussam eorum, qui præcipiunt, plane officium est eripere ex animis errorem, et ad opinionum fallacias obsepire certis præsidiis viam. Igitur apparet, magnopore cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quidlibet pro arbitratu docendi licentiam : quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quæ a doctore traduntur, raro admodum dijudicare per se ipse discipulus potest.

Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est : nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in instrumentum corruptelæ vertatur. — Veri autem, in quo unice versari præcipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cujusmodi sunt principia naturæ, et ea quæ ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium : in quo, tamquam fundamento firmissimo, cum mores et justitia et religio, atque ipsa conjunctio societatis humanæ nitatur, nihil tam impium esset tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere. — Nec minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum quas Deo auctore cognoscimus. Argumentis multis et illustribus, quod sæpe Apologetæ consueverunt, præcipua quædam capita constituuntur cujusmodi illa sunt : quædam esse a Deo divinitus tradita; unigenitum Dei Filium carnem factum, ut testimonium perhiberet veritati; per-

fectam quamdam ab eo conditam societatem, nempe Ecclesiam, cujus ipsemet caput est, et quacum usque ad consummationem sæculi se futurum esse promisit. Huic societati commendatas omnes, quas ille docuisset, veritates voluit, hac lege, ut eas ipsa custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret : unaque simul jussti, omnes gentes Ecclesiæ suæ, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse : qui secus facerent, interitu perditum iri sempiterno. Qua ratione plane constat, optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Unigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram quæ illuminat omnem hominem, et ad cujus disci plinam dociles esse omnes homines oportet : *Et erunt omnes docibiles Dei* (1). — Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino ejus beneficio falli nesciam : quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile jus ad magisterii libertatem. Revera doctrinis divinitus acceptis se ipsa Ecclesia sustentans, nihil habuit antiquius, quam ut munus sibi demandatum a Deo sancte expleret : eademque circumfusis undique difficultatibus fortior, pro libertate magisterii sui propugnare nullo tempore destitit. Hac via orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa, ad christianam sapientiam renovatus est. — Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas esse revera non posse, ita ut quodcumque cum illis dissentiat, hoc ipso falsum esse necesse sit, idcirco divinum Ecclesiæ magisterium tantum abest ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque caussa non parum proficit ad ipsam libertatis humanæ perfectionem, cum Jesu Christi servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum. *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (2). — Quare non

(1) Joan. VI, v. 45. (2) Joan. VIII, 32.

est caussa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges justas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri Ecclesia simul et ratio consentientes postulant. Quin imo Ecclesia, quod re ipsa passim testatum est, hoc agens præcipue et maxime ut fidem christianam tueatur, humanarum quoque doctrinarum omne genus fovere et in majus provehere studet. Bona enim per se est et laudabilis atque expetenda elegantia doctrinæ : prætereaque omnis eruditio quam sana ratio pepererit, quæque rerum veritati respondeat, non mediocriter ad ea ipsa illustranda valet, quæ Deo auctore credimus. Revera Ecclesiæ hæc beneficia debentur sane magna, quod præclare monumenta sapientiæ veteris conservarit ; quod scientiarum domicilia passim aperuerit ; quod ingeniorum cursum semper incitaverit, studiosissime has ipsas artes alendo, quibus maxime urbanitas ætatis nostræ coloratur. — Denique prætereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant : res scilicet quæ cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum. — His ex rebus intelligitur, quæ et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et prædicant *liberalismi* sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicæ licentiam adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati non dubitent aditum januamque patefacere : ex altera Ecclesiam plurifariam impediunt, ejusque libertatem in fines quantum possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex Ecclesiæ doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnæ omnino utilitates expectandæ.

Illa quoque magnopere prædicatur, quam *conscientiæ libertatem* nominant : quæ si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu æque liceat Deum colere, non colere, argumentis quæ supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et jussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Hæc quidem

vera, hæc digna filiis Dei libertas, quæ humanæ dignitatem personæ honestissime tuetur, est omni vi injuriaque major : eademque Ecclesiæ semper optata ac præcipue cara. Hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetæ, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem : propterea quod maximam justissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium libertas hæc christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediente commune : neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicæ potestatis desciscere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanæ jus est, quatenus cum potestate Dei nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam præcipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo disceditur, simulque cum auctoritate divina confligitur : ergo rectum est non parere.

Contra *Liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam prædicant, hanc de qua loquimur conjunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt : cujus conservandæ caussa si quid fiat, injuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret.

Vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicæ ordines hæc, quæ summatim attigimus, christiana documenta re usuque penetrarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quæ tanta prædicatione efferuntur, et in quibus salutis gloriæque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus. Pro jucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus. Si remedium quæritur, sanarum doctrinarum revocatione quæratur, a quibus solis conservatio ordinis, adeoque veræ tutela libertatis fidenter expectari potest. — Nihilominus materno judicio Ecclesia æstimat grave pondus infirmitatis humanæ : et qualis hic sit, quo nostra vehitur ætas,

animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens juris nisi iis quæ vera quæque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate justitiaque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet majus aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum. Ipse providentissimus Deus cum infinitæ sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne majora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari : quin etiam cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte* (1). Verumtamen in ejusmodi rerum adjunctis, si communis boni caussa et hac tantum caussa, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se : quia malum per se cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum* (2). Quæ Doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. — Sed confitendum est, si vere judicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo : itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicæ præcepta prudentiæ, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, id est salus publica postulat. Quare si saluti publicæ detrimentum afferat et mala civitati majora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adjunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicæ tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia per-

(1) S. August., *De lib. arb.*, lib. I, cap. 6, num. 14.
(2) S. Th. p. I, q. XIX, a. 9, ad 3.

missas esse judicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternæ hominum saluti consulere. — Illud tamen perpetuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem jure esse ac verum, rationi repugnat. Et quod ad *tolerantiam* pertinet, mirum quantum ab æquitate prudentiaque Ecclesiæ distant, qui *Liberalismum* profitentur. Etenim permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinita licentia, omnino modum transiliunt, atque illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritatique tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur. Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistram, quia tam dissolutum flagitiosumque *tolerantiæ* genus constanter, ut debet, repudiat, idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam ; quod cum faciunt, minime sentiunt, se quidem, quod laudis est, in vitio ponere. Sed in tanta ostentatione *tolerantiæ,* re persæpe contingit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint : et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere Ecclesiam passim recusant.

Et ut omnis oratio una cum consectariis suis capitulatim breviterque, perspicuitatis gratia, colligatur, summa est, necessitate fieri, ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit : proinde libertatem hominis, nisi obnoxiam Deo ejusque voluntati subjectam, intelligi minime posse. Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abutentis ad perduellionem libertate : proprieque ex animi tali affectione conflatur et efficitur *Liberalismi* capitale vitium. Cujus tamen distinguitur forma multiplex : potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discedere, quæ vel Deo, vel iis qui potestatem divinam participant, debetur.

Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem

obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus : omninoque de hoc intelligi debent quæ hactenus contra diximus.

Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cujus ex numine tota est apta natura : sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, præsertim publice in civitate, ratio. Qui pariter quando in errore versentur, et quam sibimetipsis parum cohæreant, supra vidimus. Et ab hac doctrina, tamquam a capite principioque suo, illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiæ a republica disparandis : cum contra liqueat, geminas potestates, in munere dissimili et gradu dispari, oportere tamen esse inter se actionum concordia et mutatione officiorum consentientes.

Huic tamquam generi subjecta est opinio duplex. — Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanæ, in institutis, moribus, legibus, reipublicæ muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Contra quos plane vis argumentorum omnium valet, quibus ipsam de distrahendis Ecclesiæ reique civilis rationibus sententiam convincimus : hoc præterea adjuncto, quod est perabsurdum, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat.

Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent : ei tamen naturam juraque propria societatis perfectæ eripiunt, nec ejus esse, contendunt, facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subjectos. Itaque divinæ hujusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem ejus efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e con-

sociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicæ subjungant. — Ad hos plane refellendos argumenta valent Apologetis usitata, nec prætermissa Nobis, nominatim in Epistola encyclica *Immortale Dei,* ex quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quæ ad naturam ac jura pertineant legitimæ, summæ et omnibus partibus perfectæ societatis.

Multi denique rei sacræ a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quæ in administrandis imperiis hodierna prudentia desideret. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur æqua ratione, quæ consistere cum veritate justitiaque possit : nimirum ut, explorata spe magni alicujus boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax judicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, justitia potest : quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiæ esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferat, aut in iis quæ sunt religioni noxia conniveat.

Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti jura totidem, quæ homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. — Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si justæ caussæ sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. — Ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum majorem facultatem afferat, præterea numquam.

Ubi dominatus premat aut impendeat ejusmodi, qui oppressam injusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate

debita, fas est aliam quærere temperationem reipublicæ, in qua agere cum libertate concessum sit : tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa, quæritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur.

Atque etiam malle reipublicæ statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicæ potestatis. Ex variis reipublicæ generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem Ecclesia respuit ; singula tamen vult, quod plane idem natura jubet, sine injuria cujusquam, maximeque integris Ecclesiæ juribus, esse constituta.

Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est : immo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

Neque illud Ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri, incolumi justitia, queat. Denique nec eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. Civicarum sine intemperantia libertatum semper esse Ecclesia fautrix fidelissima consuevit : quod testantur potissimum civitates italicæ, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali jure adeptæ, quo tempore salutaris Ecclesiæ virtus in omnes reipublicæ partes, nemine repugnante, pervaserat.

Hæc quidem, venerabiles Fratres, quæ fide simul et ratione duce, pro officio Nostro apostolico tradidimus, fructuosa plurimis futura, vobis maxime Nobiscum adnitentibus, confidimus. — Nos quidem in humilitate cordis Nostri supplices ad Deum oculos tollimus, vehementerque petimus, ut sapientiæ consiliique sui lumen largiri hominibus benigne velit, scilicet ut his aucti virtutibus possint in rebus tanti momenti vera cernere, et quod consequens est, convenienter veritati, privatim, publice,

omnibus temporibus immotaque constantia vivere. — Horum cælestium munerum auspicem et Nostræ benevolentiæ testem vobis, venerabiles Fratres, et Clero populoque, cui singuli præestis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die 20 Junii an. 1888, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

I.

DECRETUM.

URBIS ET ORBIS.

Diuturnis Ecclesiæ acerbitatibus, ac temporum quotidie invalescente difficultate commotus, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII cunctos a sui Pontificatus exordiis ubique christianos excitare non destitit ad Deiparam Virginem Mariam sacri Rosarii ritu colendam atque implorandam. Inter cetera, quæ præclare edocuit in sua prima de Rosario Encyclica (1 Septembr. 1883), ait : *Divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus, ad publica sananda vulnera, Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero cœlesti pervidit lumine, ætatis suæ malis remedium nullum præsentius futurum, quam si homines ad Christum, qui* via, veritas et vita est, *salutis per Eum nobis partæ crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est cunctas hæreses interimere, deprecatricem apud Deum adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostræ mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interjecta oratione ad Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi. Nos igitur non absimili malo idem quærentes remedium, non dubitamus quin eadem hæc a beatissimo viro, tanto cum orbis catholici emolumento, inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.* Pontificiæ voluntati permagna animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum

est, *ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in cœlesti Mariæ Virginis patrocinio spem universi reponant* (Encyclicæ 30 Augusti 1884). Hujusmodi porro spei veluti præclarus fructus, jure nunc accenseri debet memorabile factum quod hoc anno, sacerdotii ejusdem Sanctissimi Domini Nostri quinquagesimo, Deus ostendit : mirandum profecto publicæ religionis et fidei exemplum, pulcherrimum honestissimumque pietatis certamen in toto christiano orbe inter omnigenas lætitiæ significationes exhibitum. Omnes hominum ordines, vel ex dissitis terrarum partibus, gestierunt prosequi Pontificem Summum, beati Petri successorem, omni genere officii : legationibus, litteris, peregrinationibus etiam longinquis ultro susceptis, oblatisque ingenti numero et effusa magnificentia muneribus, de quibus verissime dictum est, materiam et opus propensione superari voluntatis. *Qua* scilicet *in re admirabiliter fulget Dei benignitas et virtus, qui in magnis Ecclesiæ laboribus vires ejus confirmat ac fulcit : qui pro nomine suo certantibus solatia tribuit : qui providentiæ suæ consilio ex malis ipsis uberem bonorum messem educit : fulget item Ecclesiæ gloria, quæ originis vitæque suæ vim divinam ostendit, ac divinum, quo regitur vivitque, spiritum : quo fit, ut fidelium mentes et voluntates uno eodemque vinculo invicem, itemque cum supremo Ecclesiæ Pastore jungantur* (Allocut. Concistor. 25 Novembr. 1887).

Jamvero id perpendentes Catholicorum gentes, dum inferorum portæ quotidie audaciores fiunt in bello adversus Ecclesiam urgendo, probe sentiunt quantopere oporteat in potentissimam Dei Matrem augere fervorem, augere fiduciam, ut per Rosarii preces exorata, nomini Christiano et Apostolicæ Cathedræ propitia succurrat : memores velle Deum donorum suorum continuationem atque implementum *non solum bonitatis suæ, sed etiam perseverantiæ nostræ esse fructum*. (Breve Apost. 24 Decemb. 1883).

Quapropter ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, et pro concedendis enixius deprecandum, Beatissimus Pater quæ supe-

rioribus annis per Suas Encyclicas, et per Sacrorum Rituum Congregationis Decreta (20 Augusti 1886 — 26 Augusti 1886 — 11 Septembris 1887) de salutaris sacri Rosarii ritu, præsertim toto Mense Octobri celebrando, statuit et hortatus est; eadem omnia hoc vertente anno fieri mandat ac vehementer hortatur. Et quoniam plura de ampliori cultu liturgico magnæ Virgini sub titulo Rosarii exhibendo jam decrevit; novum addere adhuc volens incrementum, sacrum festum ejusdem Rosarii solemnitatis, Dominicæ primæ Octobris adsignatum, OFFICIO PROPRIO CUM MISSA decoravit, illudque ab utroque Clero in posterum recitari præcepit, juxta superius schema quod, a Se recognitum et probatum, per eamdem Sacrorum Rituum Congregationem hac ipsa die edi mandavit.

Nonis Augusti, in festo Beatæ Mariæ Virginis ad Nives anno 1888.

A. CARD. BIANCHI, S. R. C. PRÆFECTUS.

LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secretarius.*

II.

TOLETANA.

De quodam more SSmum Sacramentum in processione gestandi

Hodiernus Parochus Rector Ecclesiæ in Loco vulgo *Puiblo de Montalban* nuncupato, intra fines Archidiœceseos Toletanæ, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII humillime exposuit, quod Sodales Confraternitatis a Sanctissimo Sacramento nuncupatæ cui ipsemet præest, uti exoptant custodia sive tabernaculo ad Sanctissimam Eucharistiam in solemnibus supplicationibus deferendum vel humeris presbyterorum imposita, vel curru vecta ad ejusmodi pompam apposite accommodato quique a laicis pertrahitur. Hinc votis sodalium et ceterarum incolarum obsecundans Sanctissimum Dominum Nostrum enixe rogavit ut

expositum morem etiam in nonnullis Hispaniarum Diœcesibus vigentem servari permitteret. Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, attento præsertim amplissimo commendationis officio Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Toletani, re mature perpensa, enuntiatæ petitioni rescribendum censuit : *Expositum morem posse servari.*

Atque ita rescripsit die 1 Februarii 1888.

III.

BRIXIEN.

Occurrente festo Patroni in feria IV Cinerum, missa de Patrono denegatur, festi translatio ad feriam sequentem conceditur.

Reverendissime Domine uti Frater,

Exponens Amplitudo Tua Festum Sanctorum Faustini et Jovitæ Martyrum, istius Civitatis et Diœceseos Patronorum, qui summa ibidem veneratione gaudent, hoc anno in Feriam quartam privilegiatam Cinerum incidere, ne publica eorumdem solemnitas communi cum mœrore transferenda sit, ipsamet Amplitudo Tua a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus expetivit ut, quoties enuntiatum festum cum feria quarta Cinerum occurrerit, expleto in Ecclesia Cathedrali juxta officium diei Sacrorum Cinerum ritu, tam ibidem quam in cunctis Ecclesiis parochialibus ipsius Diœceseos unica missa solemnis propria de iisdem sanctis Patronis cantari queat. Sacra porro Rituum Congregatio, petitam veniam renuens concedere, utpote sacræ liturgiæ præscriptionibus omnino adversantem, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, commisit Amplitudini Tuæ ut in casu enuntiati impedimenti festum Sanctorum Faustini et Jovitæ in universa Brixien Diœcesi fixe transferatur in diem sequentem tanquam in sedem propriam, servatis Rubricis.

Quæ dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuæ communico, ut Ipsa diu atque incolumis vivat ex animo adprecor.

Amplitudinis Tuæ

Romæ, die 1 Februarii 1888.

Uti Frater,

A. CARD. BIANCHI, PRÆFECTUS.

LAURENTIUS SALVATI, *Secretarius.*

Ce rescrit particulier a une certaine importance ; il apprend à d'autres églises ce qu'il ne faut pas demander, ce qu'il est possible d'obtenir quand la fête du Patron tombe le mercredi des Cendres. La faveur sollicitée par Mgr l'Évêque de Brescia est refusée, et déclarée tout à fait contraire aux Rubriques : elle est, en effet, en opposition avec la Rubrique du Missel, titre VI, *De translatione festorum*. La S. Congrégation est munie à l'avance de pouvoirs pour accorder qu'en pareil cas la fête du Patron soit transférée *d'une manière fixe* au jour suivant. C'est un avantage : sans l'indult, cette fête se trouverait rejetée *in primam diem non impeditam ;* avec l'indult, elle se fait dès le lendemain de son incidence, sous la condition d'*observer les Rubriques*, c'est-à-dire, de transférer le double de 2e classe, le double majeur ou le docteur de l'Église, d'omettre, pour cette fois, le double mineur ou le semi-double qui se rencontrerait en ce jour, et de suivre, en cas d'occurrence d'un double de 1re classe, les règles des Rubriques *De occurrentia festorum*. Toute fête transférée qui, dans le calendrier du diocèse ou dans un calendrier particulier, se trouverait occuper accidentellement le même jour, devrait être placée plus loin.

IV.

De Missa in Dominica proxime venturi mensis Septembris pro defunctis celebranda.

A Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, Litteris editis in die solemni Paschatis vertentis anni, quum præceptum fuerit ut in cunctis catholici orbis Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis et Cathedralibus ultima Dominica proximi venturi mensis Septembris specialis Missa Defunctorum, majori qua fieri potest solemnitate, celebretur, simulque data fuerit facultas ejusdem Missæ celebrandæ in omnibus aliis Ecclesiis Parochialibus et Collegiatis, et ab omnibus Sacerdotibus, dummodo ne omittatur Missa Officio diei respondens, ubicumque est obligatio; insequentia dubia super ejusmodi mandato Sanctitatis Suæ pro opportuna declaratione proposita sunt, nimirum :

I. An concessa sit dispensatio, seu commutatio obligationis, tum Missæ pro populo, tum Missæ cujuscumque omnino diei affixæ, ita ut minime transferri valeat?

II. An verba, *dummodo ne omittatur Missa officio diei respondens ubicumque est obligatio,* intelligenda sint tantummodo de Ecclesiis, in quibus ea die fit officiatura choralis?

III. An ubi occurrit festivitas ex solemnioribus, ex. gr. Patroni, Titularis et Dedicationis Ecclesiæ, sufficiat Missam pro Defunctis applicare, servando ritum festivitati cohærentem?

Hisce porro dubiis a S. R. C. jussu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri rite perpensis, Sacra ipsamet Congregatio rescribendum censuit :

Affirmative in omnibus.

Quibus per infrascriptum Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacræ Congregationis approbavit, illudque per præsens Decretum evulgari mandavit.

Die 6 Junii 1888.

A. CARD. BIANCHI, S. R. C. PRÆFECTUS.

LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secretarius.*

V.

URGELLEN.

Rmus Dnus Salvator Casanas et Pages, hodiernus Episcopus Urgellen a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem humillime expetivit, nimirum :

Dubium I. Utrum in Litaniis Sanctorum quæ extraordinariis de causis cantantur in publicis supplicationibus, invocari queant Patroni Diœceseos et Civitatis Urgellensis, Sancti Hermengande et Odo, prouti consuevit ab immemorabili tempore?

Dubium II. Per Decretum diei 2 Maii 1867 præceptum in festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ ita suppressum est in Hispania, ut de eo Missa solemnis cantari debeat Dominica infra Octavam. Quia vero in Urgellensis Diœceseos ecclesiis festum colitur uti ante enuntiatum Decretum, petitur ut præfata Missa solemnis Dominica infra Octavam omitti possit.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, propositis Dubiis ita rescribere rata est, nimirum :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Standum citato Decreto.*

Atque ita rescripsit die 22 Februarii 1888.

A. CARD. BIANCHI, S. R. C. Præfectus.

Laurentius Salvati, *S. R. C. Secretarius.*

VI.

URGELLEN.

Hodiernus Magister Cæremoniarum Ecclesiæ Cathedralis Urgellensis de mandato sui Rmi Episcopi insequentia Dubia

Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subjecit, nimirum :

Dubium I. An Episcopus in actu Visitationis Cathedralis Ecclesiæ vel aliarum Insignium Ecclesiarum suæ Diœceseos, indui possit, ad majorem solemnitatem, amictu, alba, etc., cum pluviali et mitra, ad portam ipsius Ecclesiæ, antequam aspersorium accipiat ac thurificetur, prout alicubi factum est?

Dubium II. 1° Utrum, recurrente officio duplici majore non de præcepto, cani possit in Cathedrali pro Anniversario electionis et consecrationis Episcopi Diœcesani?

2° Potestne cantari in die infra Octavam privilegiatam, quando prædictum Anniversarium incidit in ipsam?

Dubium III. Quum non idem sentiant Rubricistæ circa Missam de Requie, corpore præsente, in Festis S. Joseph Patroni Ecclesiæ Catholicæ et Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, ideo ad uniformitatem in praxi stabiliendam quæritur :

1° Utrum Decreta Sacræ Rituum Congregationis in Veronen. diei 7 Februarii 1874 ad I, nec non in Lucionen. diei 28 Decembris 1884 ad VII, ita absolute intelligenda sint, ut nulla ratione nulloque in casu permittatur solemnis Missa de Requie præsente cadavere, in Festo S. Patriarchæ Joseph, necne?

2° Utrum Missa de Requie cani possit in Nativitate S. Joannis, ubi solemnitas hujus festi translata invenitur ad sequentem Dominicam? Et quatenus negative :

3° An eadem missa etiam in præfata Dominica censenda sit prohibita? Et quatenus affirmative :

4° An prædicta Missa cani possit die Dominica iis in locis, ubi quamvis generaliter translata sit solemnitas festi Nativitatis S. Joannis ad sequentem Dominicam, prout fit in Hispania ex Decreto S. R. C. diei 2 Maii 1867, tamen populus, nihil curans nec memoriam habens de ea translatione, fere eodem modo ac antea Nativitatem S. Joannis recolit?

Dubium IV. An in II Vesperis Commemorationis S. Pauli Ap. in concurrentia cum Officio Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. fieri debeat commemoratio SS. Petri et Pauli per antiphonam communem *Petrus Apostolus*, etc.?

DUBIUM V. Ubi Patrocinium S. Joseph colitur sub ritu Duplicis I cl., quomodo ordinandæ Vesperæ in concursu cum Officio S. Georgii Mart., Patroni Principatus Cathalauniæ, quod quidem celebratur sub ritu eodem cum octava, absque tamen apparatu et feriatione; num integræ de Patrocinio cum commemoratione S. Georgii; an vero e contra?

Et S. R. C. ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad I. *Serventur dispositiones Pontificalis Romani, in Ordine ad visitandas parochias.*

Ad II. *Affirmative juxta Decretum* IN MECHLINIEN. *diei 12 Septembris 1840 quoad primam partem : Negative et fiat commemoratio sub unica conclusione quoad secundam partem.*

Ad III. *Affirmative ad 1am quæstionem : Negative ad secundam : Affirmative ad tertiam juxta Decretum* IN NAMURCEN. *diei 23 Maii 1835; et Affirmative ad quartam.*

Ad IV. *Detur Decretum in* MELITEN. *diei 24 Martii 1860* (1).

Ad V. *In casu Vesperæ celebrentur integræ de S. Georgio cum commemoratione Patrocinii S. Joseph.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 20 Aprilis 1888.

A.-CARD. BIANCHI, S. R. C. PRÆFECTUS.

(1) La S. Congrégation a répondu à cette date : *Commemorationem fieri debere de utroque simul Apostolo, prout indicatur in Breviario.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

I.

URBIS ET ORBIS.

Indulgence attachée à une prière en l'honneur de S. Vincent Ferrier.

Beatissimo Padre,

Il Sacerdote Angelo Zineroni umilmente espone alla Santità Vostra come nel paese chiamato *Madone*, Diocesi di Bergamo, possiede un publico Oratorio dedicato al glorioso Taumaturgo S. Vincenzo Ferreri. Desideroso di viemaggiormente coltivare la divozione verso il detto Santo, supplica la S. V. affinchè voglia benignamente degnarsi di accordare una qualche Indulgenza a tutti i fedeli i quali divotamente reciteranno la seguente

ORAZIONE AD GLORIOSO TAUMATURGO S. VINCENZO FERRERI.

O glorioso Apostolo e Taumaturgo S. Vincenzo Ferreri, nuovo Angelo dell' Apocalisse, e nostro amabile Protettore accogliete la nostra umile preghiera e fate discendere sopra di noi la copia dei divini favori. Per quell' amore onde avvampò il vostro cuore, otteneteci dal Padre delle misericordie il perdono di tutti i nostri peccati, la stabilità nella fede, la perseveranza nelle opere buone; sicchè vivendo da buoni e ferventi cristiani, siamo fatti degni del vostro patrocinio. Estendete questo patrocinio anche ai corpi, e liberateci dalle infermità. Guardate le nostre campagne dai danni della tempestà e della grandine, e tenete lontano da noi l'infortunio. Cosi favoriti da voi nei beni dello spirito e del corpo,

vi saremo sempre divoti; e un giorno verremo in Cielo a lodare con Voi Iddio per tutti i secoli. Cosi sia (1).

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita die 17 Septembris 1887 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote suprapositam Orationem recitantibus Indulgentiam biscentum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam benigne concessit. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die supradicta 17 Septembris 1887.

PRO D. CARD. ZIGLIARA, PRÆFECTO
M. CARD. LEDOCHOWSKI.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius*.

II.

Indulgence pour l'oraison jaculatoire : Deus meus et omnia.

Beatissime Pater,

Fr. Bruno a Vintia, Procurator Generalis Ord. Min. Capulatorum, instantibus ejusdem Ordinis alumnis, iis præsertim qui in

(1) Traduction. — *Prière au glorieux thaumaturge S. Vincent Ferrier.* O S. Vincent Ferrier, glorieux apôtre et thaumaturge, nouvel Ange de l'Apocalypse et notre aimable protecteur, accueillez nos humbles prières, et faites descendre sur nous l'abondance des faveurs divines. Par cet amour qui embrasait votre cœur, obtenez-nous du Père des miséricordes le pardon de tous nos péchés, la constance dans la foi et la persévérance dans les bonnes œuvres, afin que, vivant en bons et fervents chrétiens, nous devenions dignes de votre protection. Etendez-la jusqu'à nos corps et délivrez-nous des maladies. Préservez nos campagnes des fléaux de la tempête et de la grêle, éloignez de nous tout mal. Ainsi comblés de vos faveurs dans l'ordre spirituel et temporel, nous serons toujours vos dévots serviteurs, et un jour nous nous trouverons unis à vous dans le ciel pour louer Dieu dans tous les siècles. Ainsi soit-il.

Bavarica provincia degunt, ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, petit a Sanctitate Vestra ut aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur omnibus utriusque sexus Christifidelibus devote recitantibus jaculatoriam precem « DEUS MEUS ET OMNIA, » quæ et Seraphico Patri S. Francisco Assisiensi fuit familiaris, simulque opportuna et salutaris ad excitandum in Christifidelibus amorem erga Deum.

Et Deus, etc.

Ex audientia Sanctissimi diei 4 Maii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, omnibus utriusque sexus Christifidelibus qualibet vice corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam oratiunculam benigne concessit *Indulgentiam quinquaginta dierum*, defunctis quoque applicabilem. Præsenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 4 Maii 1888.

S. CARD. VANNUTELLI, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

III.

Autorisation pour les Tertiaires de divers pays de recevoir la veille la Bénédiction avec indulgence plénière.

Nos lecteurs n'ont pas oublié les Décrets de la S. Congrégation des Indulgences du 12 Janvier 1878 et du 27 Novembre 1885 (1), déclarant qu'à moins d'une concession contraire formellement exprimée, le temps accordé pour gagner les indulgences attachées à certains jours s'étend de minuit à minuit. La Constitution *Misericors Dei Filius*,

(1) Voir *Nouvelle Revue Théologique*, XVIII, p. 179.

qui règle les indulgences des Tertiaires, ne contenant aucune déclaration spéciale à ce sujet, il fallait en conclure que la Bénédiction avec indulgence plénière ne peut être reçue la veille des fêtes ou des jours auxquels elle est fixée, pas même à partir des premières Vêpres, et c'est ce que la S. Congrégation a répondu le 21 Novembre 1885 à Mgr l'Évêque de Marseille. Mais, en même temps, elle agréait les raisons présentées par ce Prélat pour la concession d'un indult, savoir la pénurie des Confesseurs et la grande difficulté, pour les Tertiaires, de différer leur confession jusqu'au jour même de la fête; et elle accordait, pour le diocèse de Marseille, l'indult désiré, autorisant les Tertiaires à recevoir la Bénédiction *la veille* des jours désignés dans la Constitution *Misericors Dei Filius*. Depuis lors, certains Évêques, entre autres, Mgr l'Évêque d'Angoulême ont obtenu l'extension de cet indult à leur diocèse. Nous avons récemment (1) annoncé à nos lecteurs son extension à la Belgique; le document suivant l'accorde à toute la France.

Beatissime Pater,

Fr. Bruno a Vintia, Procurator Generalis Ordinis Min. S. Francisci Capuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestræ humillime provolutus, exponit qualiter difficillimum sit et haud semel impossibile, ob penuriam Confessariorum in Provinciis Galliarum ejusdem Ordinis, quod Tertiarii sæculares S. P. Francisci Assisien. tum sacramentalem Confessionem peragant, tum Benedictionem cum Indulgentia Plenaria accipiant, in ipsismet diebus in quibus dicta gratia ipsis a Benignitate Apostolica concessa fuit, adeo ut sæpe sæpius tanto spirituali solamine ac juvamento privati quamplures eorum remanere debeant.

(1) Plus haut, page 133.

Et ideo humilis Exponens summis precibus expostulat, ut gratia Sodalibus Tertii Ordinis in Massilia, necnon in Belgio per rescripta S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ concessa, ad Tertiarios S. Francisci in Provinciis Galliarum Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum pariter extendatur, ita ut videlicet memorati Tertiarii Absolutionem seu Benedictionem cum Indulgentia Plenaria, etiam in vigilia Festorum seu dierum quibus adnexa est, servatis cæterum aliis de jure servandis, accipere possint et valeant.

Et Deus, etc.

Ex audientia Sanctissimi diei 4 Maii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne annuit juxta preces, servatis de jure servandis. Præsenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ die 4 Maii 1888.

S. CARD. VANNUTELLI, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

Ad hæc in Urbaniano Collegio schola jampridem Armeniæ linguæ tradendæ instituta fuit, et Pius IX decessor noster curavit, ut in gymnasio Pontificii Seminarii Romani præceptor esset, a quo nostrates sermonem, litteras, historiam Armeniæ gentis addiscerent. Neque hujus Urbis finibus se continuit Romanorum Pontificum de Armeniis sollicitudo; namque iis nihil fuit antiquius, quam ut Ecclesiam vestram difficultatibus, quibus esset implicita, eximerent, damna sarcirent eidem iniquitate temporum illata, ejusque commodis prospicerent. Obscurum est nemini Benedicti XIV studium ut sarta tectaque servaretur liturgia vestra non secus ac aliarum Orientalium Ecclesiarum, atque ut catholicorum Armeniæ Patriarcharum successio in Sisensi sede restitueretur. Exploratæ vobis curæ sunt Leonis XII et Pii VIII eo conversæ, ut in urbe imperii Othomanici principe Armenii præfectum suæ gentis haberent, in civilibus negotiis, ad instar aliarum nationum, quæ in eadem ditione sitæ sunt. Recens demum memoria est rerum a Gregorio XVI et Pio IX gestarum, ut episcopales sedes in vestra regione augerentur, atque ut Armenius Antistes Constantinopoli esset honore et dignitate præstans. Quod primo factum est archiepiscopali et primatiali sede ibidem constituta, deinde unione decreta cum Patriarchatu Ciliciæ; ea lege ut Patriarchæ in ea urbe domicilium esset, quæ caput imperii est. Neve locorum distantia interjecta arctam conjunctionem extenuaret quæ Armenios fideles Romanæ Ecclesiæ devincit, providenter constitutum est, ut Delegatus Apostolicus in eadem urbe esset, qui Romani Pontificis gereret vices. Quæ Nobis de gente vestra cura fuerit, vos ipsi testes estis, Nosque vicissim testes sumus voluntatis erga Nos vestræ, cujus significationem non semel accepimus.

Quare cum istinc populi ingenium, mos majorum, omnis

anteactæ ætatis memoria Armenios a vobis sejunctos ad hanc veritatis arcem validius trahat quam ut longiori possint distineri mora; hinc vero Apostolica Sedes semper contenderit conjunctissimam sibi habere nationem vestram, ac sicubi defecisset, ad pristinam communionem revocare; sane vobis, Venerabiles Fratres, prægravia suppetunt argumenta ad suadendum, et Nobis ad bene sperandum, ut vetus conjunctio plenissime restituatur. Quod utique genti universæ bene vertet non modo ad æternam animarum salutem, sed et ad eam, quæ pie optari potest, in terris prosperitatem et decus. Testatur enim historia, inter sacros Armeniæ Antistites eos præfulsisse ceteris, uti splendida sidera, qui Romanæ Ecclesiæ adhæserunt arctius, maximamque fuisse iis seculis nationis gloriam, quibus in ea catholica religio latissime floruit.

Uti hæc juxta vota et ex sententia cedant unus præstare potest rerum omnium moderator Deus qui *quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit* (1). Ad eum supplices Nobiscum adhibete preces, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ut flexanima Ejus gratia moti quotquot e gente vestra per baptismum ingressi in christianæ vitæ societatem sejunctum a Nobis cœtum habent, impleant ad Nos reversi gaudium Nostrum, *idem* sapientes, *eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* (2). Contendite ut suffragatrix adsit apud gratiæ thronum *gloriosa, benedicta, sancta, semper Virgo Deipara Maria, Christi mater*, et offerat *preces nostras Filio suo et Deo nostro* (3). Deprecator cum ea adhibeatur martyr illustris Gregorius Illuminator, ut opus ab se laboribus invictaque cruciatuum perpessione inchoatum, divinæ minister opis, perficiat solidetque. Denique et illud, Nostra præeunte prece, deposcite ut Armeniorum docilitas reditusque ad unitatem catholicam exemplo et incitamento sit ceteris qui Christum quidem colunt, sed a Romana Ecclesia secesserunt, ut illuc redeant unde digressi sunt, fiatque unum ovile et unus Pastor.

(1) S. Ambros. *in Luc.* c. IV. (2) *Philipp.* II, 2.
(3) *Antiph. Liturg. Armen.*

Hæc dum votis et spe Nostra prosequimur, Apostolicam Benedictionem divinæ benignitatis auspicem vobis, Venerabiles Fratres, vobisque universis, Dilecti Filii, effusa caritate impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXV Julii anno MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

BREF DU SOUVERAIN PONTIFE

INSTITUANT UN INSIGNE HONORIFIQUE

A L'OCCASION DE SON JUBILÉ.

LEO PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quod singulari Dei concessu et munere adeo provecti sunt Nostræ ætatis anni, ut potuerit a Nobis quinquagesimus Sacerdotii natalis feliciter agi, id profecto Nos non tam Nostra, quam Ecclesiæ atque hujus Apostolicæ Sedis caussa delectat. Faustitas enim ejus eventus plene cumulateque confirmat quam miro pietatis ardore quantoque voluntatum consensione soleant catholici homines Jesu Christi Vicarium colere et observare, atque difficultates rerum et temporum dirumpere aut perturbare nequeant officiorum et studiorum vicissitudinem, quæ populis christianis cum Romano Pontifice intercedit. Siquidem ex omnibus orbis terrarum partibus, quacumque invectum est catholicum nomen, tot ac tam præclaræ amoris et obsequii significationes sunt Nobis exhibitæ, ut institui quodammodo visa sit inter populos voluntatis erga Nos et liberalitatis honesta certatio. De rebus sermo est, quas quidem norunt omnes, et quas auctori bonorum omnium Deo Nos referimus acceptas. Ceterum nullum est pietatis testimonium, nullum officii genus, quod christiani homines, ea sibi oblata occasione, Nobis non detulerint. Revera neminem latet, ut multis in locis festus ille habitus atque actus sit dies, quo quinquagenariam Sacerdotii Nostri memoriam celebravimus : ut de vita et incolumitate Nostra, tamquam de publico bono,

decretæ sint gratiarum actiones et gratulationes : ut ad commemorationem auspicati diei non pauca sint christianæ plena charitatis opera instituta ; videlicet comparata calamitosis adjumenta, aperta perfugia puellis, pueri recepti in scholas, redempta a servitute mancipia. Testis vero est alma Urbs Nostra, quam ingens vis peregrinorum tot continenter menses huc confluxerit, qui haberent ad Nos aditum, et eximia erga Nos animi sensa coram profiterentur. Vidimus sane plurimos genere, sermone, moribus inter se dissimiles, non solum ab Europæ regionibus, sed vel a dissitis Africæ, Asiæ, Americæ et Oceaniæ oris iter Romam conferre ejusdem omnes fidei et paris observantiæ testimonium Pontifici Maximo daturos. Res quidem cum valde per se mirabilis, tum Nobis, qui gentes universas una eademque charitate complectimur, summopere jucunda. Verum sunt alia etiam officia, quorum non excidet Nobis memoria et gratia : ea enim animo tam lubenti gratoque accepimus, quam obsequenti ac prono sunt delata. De donis nimirum loquimur muneribusque omnis generis, quæ ex orbe terrarum fere universo catholici homines, quasi pietatis tributum Nobis conferenda curaverunt. Sunt ea quidem et plurima numero et genere varia, propter dissimilitudinem locorum dissimilem rationem habentia ; quorum alia divitias et artificia referunt naturæ ; alia opificum industriam prudentiamque artis testantur : multa vel materia vel opere valde sunt conspicua, multa contuentium animos vel ipsa peregrinitate delectant. Hujusmodi vero dona cum collecta sint et comportata ab omnibus orbis partibus, omnemque civium ordinem ita attingant, ut pretiosis regum procerumque donariis proxima videantur munuscula pauperum, Nos non parvi referre duximus ad Apostolicæ Sedis laudem ea omnia simul congerere, et in Nostris Vaticanis ædibus ad spectandum proponere. Quod quidem bene ac prospere cessisse, institutisque rebus exitum contigisse quem optabamus, et lætamur maxime, et gratias Deo, uti par est, plurimas agimus et habemus. — Sed libet Nobis animum Nostrum et memorem et gratum profiteri etiam viris iis, qui honorum Nobis habendorum fautores extitere. Etsi

enim probe novimus ob faustitatem proximi eventus studium populorum alacrius fuisse, quam ut incitari oporteret, non sumus tamen nescii in instituendis sodalitatibus pia peregrinatione ad Nos adeuntibus, in muneribus perferendis, ordinandis, custodiendis, in omnibus denique amoris pietatisque officiis præstandis eorum virorum solertiam industriamque mirifice excelluisse. Iis vero se socias et administras addidisse scimus pias feminas, quæ in ejusmodi voluntatis erga Nos significationibus impartiendis suas sibi partes deposcere voluerunt. Quibus e rebus placet Nobis, ut apud eos omnes cum eventus memoria, tum benevolentiæ Nostræ maneat testimonium. Idcirco volumus, jubemus ex argyrometallo, nec non ex auro argentoque conflari insigne formam crucis habens, quod tamen quatuor interjectis liliis efficiatur octogonon. Media in conjunctione numisma parvum extet, cujus in adversa parte nomen et imago Nostra effigatur; in aversa autem exprimatur pontificale insigne, inscribaturque : « Pro Ecclesia et Pontifice. » Extremæ vero partes crucis, quæ obversæ sunt, ornentur cometa, qui una cum liliis insigne efficit gentis Nostræ ; quæ autem aversæ, signentur « Prid. Kal. Jan. MDCCCLXXXVIII. » Hujusmodi honoris signo quod e tænia serica purpurei coloris linea alba flavaque ad utramque oram virgata dependeat, merentium pectus sinistro latere decorari concedimus. Omnibus vero et singulis, qui tali honore digni habiti fuerint, auspicem cælestium munerum Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVII Julii MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Undecimo.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.



EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DE LA COMMUNION DES RELIGIEUSES.

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Frater,

Ex parte Officialis istius curiæ ecclesiasticæ expositum nuper fuit, quod in omnibus fere familiis religiosis præscribuntur in Statutis certi dies in quibus omnes ad sacram communionem accedere debent, et quod multi communionum catalogum ita intelligunt quasi nulli sit licitum communicare etiam de consilio confessarii, nisi accedat quoque formalis consensus Superioris vel Superiorissæ.

Quibus expositis, quæsitum proponit : Quænam sit mens Ecclesiæ, quando approbat hæc statuta circa communionem in familiis religionis? Scilicet, an haberi debeant ut prohibitiva ne plures fiant communiones, vel præceptiva, ita ut omnes conentur ita vivere ut mereantur ad communionem accedere saltem in illis diebus?

Itaque Sacra hæc Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus perpensis, respondit :

Negative ad primam partem, et facultatem frequentius ad Sacram Synaxim accedendi relinquendam esse privative judicio Confessarii, excluso consensu Superioris vel Superiorissæ ;

Affirmative ad secundam partem, quoties rationabilis causa non obstet.

Hæc erant a me Amplitudini Tuæ significanda, cui interim fausta cuncta ac prospera adprecor a Domino.

Amplitudinis Tuæ.

Romæ, 4 Augusti 1888.

Come Fratello Affmo.

J. CARD. MAZOTTI, PRÆFECTUS.

ALOISIUS EPISCOPUS CALLINICEN, *Secretarius.*

Cette décision est absolument conforme au droit commun, tel qu'il est établi depuis longtemps par les décrets du Saint-Siège. Nous avons eu l'occasion de le montrer à l'occasion d'une réponse de la S. Pénitencerie à Mgr l'Archevêque de Cambrai en date du 19 Novembre 1885. Nous renvoyons le lecteur à la Dissertation que la *Revue* a publiée pour commenter cette réponse (1), et nous nous bornons à ajouter que la décision actuelle prouve que la règle est la même pour les congrégations d'hommes et les communautés de femmes. C'est au confesseur ordinaire qu'il appartient de permettre des communions en dehors des jours prescrits par la règle, suivant la pureté de conscience de chaque religieux ou de chaque religieuse : le Supérieur ou la Supérieure n'a pas ce droit. Le seul droit qu'ils aient, c'est de défendre la communion pour une faute d'une certaine gravité et publique, commise depuis la dernière confession sacramentelle, et ce, jusqu'à la confession prochaine.

Quant aux communions de règle, elles sont pour tous les membres de la communauté : mais la décision actuelle reconnaît, et ne pouvait pas ne point reconnaître, qu'une cause raisonnable peut déterminer une abstention légitime. C'est au confesseur d'apprécier.

(1) T. XIX, page 36.

S. CONGRÉGATION DU CONCILE.

TROIS DÉCISIONS

CONCERNANT

LA MESSE *PRO POPULO.*

Nous avons publié l'an dernier une Dissertation aussi complète qu'il nous a été possible sur la messe *pro populo* (1). Nous devons signaler aujourd'hui trois décisions de la S. Congrégation du Concile, rendues dans le courant de cette année. Ce n'est pas qu'elles renferment une doctrine nouvelle, mais elles confirment ce que nous avons dit, et nos lecteurs seront heureux de le constater.

I.

FODIANA.

Dispensationis a Missa pro populo.

28 Aprilis 1888.

Dans la première partie de notre Dissertation, nous exposions *les règles du droit*, et nous disions : « L'obligation de la messe *pro populo* est absolue ; ni la ténuité des revenus, ni la coutume ne peuvent être une cause légitime pour s'en dispenser (2). » Dans la deuxième partie, nous avions à

(1) *Nouv. Rev. Théol.*, XIX, pages 482-503 ; 591-611.
(2) *Ibid.*, page 483.

parler des *indults* que l'on peut obtenir, et des motifs sur lesquels ils s'appuient. En conséquence, nous rappelions la phrase précédente, et nous ajoutions : « Ces motifs *(ténuité des revenus, coutume)*, qui ne sauraient, par eux-mêmes et en droit, dispenser le pasteur, peuvent être pris en considération par le Saint-Siège et l'incliner à l'indulgence (1). »

La cause de Foggia, traitée le 28 Avril dernier *per summaria precum*, confirme ces deux propositions. Elle prouve l'existence de la loi ; c'est une *dispense* de l'obligation qui est demandée pour le curé de la Cathédrale. Voici dans quelles circonstances.

Le municipe de Foggia payait jusqu'en 1883 une certaine somme, sous le nom de *supplemento di congrua*, au curé de la Cathédrale. A cette époque, il fut question d'ériger une nouvelle paroisse dans la ville, et d'attribuer à son curé le supplément payé jusqu'ici à la Cathédrale. L'Évêque et le Chapitre consentirent, et il fut convenu que la cure de la Cathédrale, jusqu'ici annexée à la première dignité du Chapitre, en serait désormais détachée, pour être unie au premier canonicat vacant, sous la condition que le titulaire se contenterait des revenus de sa prébende et du casuel. Le *folium* de la cause fait observer ici que toutes les prébendes de la Cathédrale sont égales et s'élèvent à 1020 livres *(francs)*, et que la paroisse de la Cathédrale compte 10,000 âmes.

En attendant une vacance, il fallait trouver quelqu'un qui consentît à se charger *provisoirement* de la cure. Le chanoine pénitencier accepta, et c'est lui qui, après avoir célébré d'abord les messes *pro populo*, s'adresse à la S. Congrégation pour obtenir une dispense. Il allègue comme raison : 1° « Quia parœciales proventus, ad sola incerta stolæ restricti, ob temporum vices, et licet parœcia numerosa sit, tenues tamen

(1) *Ibid.*, page 595.

sunt; et vicissim is debet duos coadjutores tenere, quorum alter a municipio non percipit nisi septemdecim menstruas libellas. — 2° Quod ad turnum missæ conventualis tenetur: quapropter ex suscepto curæ ministerio laborem et difficultates sibi auxisse, nullumque commodum, sed potius gravamen obtinuisse videtur. » L'Évêque et le Chapitre émettent le vœu qu'une dispense soit accordée; le Chapitre va même jusqu'à désirer une dispense perpétuelle; l'Évêque se borne à demander la dispense pour le pénitencier, en faisant remarquer que, lors de la vacance d'un canonicat, « qui eum licet hoc onere gravatum suscipiet, facto suo a querimoniis movendis excludetur. » Il n'en est pas de même du pénitencier.

La S. Congrégation a répondu : *Pro gratia dispensationis pro diebus festis suppressis tantum, donec aliter beneficium parochiale provideatur.*

II.

APAMIEN ET VICTORIEN.

Missæ pro populo.

28 Aprilis 1875.

Il s'agit, dans cette cause, de l'occurrence de la fête du *Corpus Domini* et de la Nativité de S. Jean-Baptiste : cette occurrence, prévue par la Rubrique, s'est présentée en 1886, et la fête de S. Jean-Baptiste, cédant devant la Fête-Dieu, a été remise au 25 Juin *tanquam in sedem propriam*. La messe *pro populo* était-elle obligatoire le 25 Juin?

Telle est la question que Mgr l'Évêque de Pamiers et Mgr l'Évêque de Vittoria ont, chacun de leur côté, adressée au Saint-Siège. Tous deux paraissent s'être laissés tromper par l'expression de la Rubrique : « Festum S. Joannis-Baptistæ tunc reponatur in diem xxv Junii *tanquam in sedem pro-*

priam. » Or, dit le *folium* de la cause, « si sedes propria festi S. Joannis esset in die 25 Junii, profecto cum officio et ritu etiam applicatio missæ pro populo observari deberet. » Donc, en vertu de cette prescription de la Rubrique, il faut transférer au 25 Juin tout ce qui était prescrit pour le jour même de la fête, « ideoque officium, missæ ritum, et applicationem pro populo. »

Ce raisonnement est sans aucune valeur. On pourrait aussi, et même avec plus de raison, faire le raisonnement suivant, qui ne vaudrait pas mieux. Si le jour propre de la Nativité de S. Jean-Baptiste était le 25 Juin, le jour octave serait le 2 Juillet. Donc, en vertu de la Rubrique, qui prescrit de transférer cette fête au 25 Juin *tanquam in sedem propriam*, il faut fixer au 2 Juillet le jour octave de la fête. On sait qu'il n'en est rien, et que la Rubrique elle-même repousse cette conclusion.

Qu'est-ce donc, sinon, comme le dit le rédacteur du *folium* de la cause, que les Rubriques n'ont point pour but, au moins en elles-mêmes, de déterminer les fêtes de précepte ou les jours auxquels incombe aux pasteurs l'obligation de la messe *pro populo*, mais seulement de régler le rite et les solennités rituelles, et la manière de célébrer la messe et l'office. Dans le cas actuel, en prescrivant de transférer accidentellement l'office et la messe de S. Jean-Baptiste au 25 Juin *tanquam in sedem propriam*, la Rubrique a eu pour but d'assurer à cet office des privilèges qu'il n'aurait point eus autrement. Sans cette prescription, il devait être transféré au premier jour libre, peut-être fort loin du 24 Juin ; avec elle, le 25 Juin devient comme son jour, et si une autre fête y est déjà placée, on se conduit comme dans les cas d'occurrence entre deux fêtes qui tombent le même jour : c'est-à-dire qu'on a, d'un côté, la fête de S. Jean-Baptiste, double de 1re classe, et de l'autre, la fête qui se rencontre le

25 Juin, et par conséquent S. Jean-Baptiste l'emporte ; l'autre fête est simplifiée ou transférée, selon les règles établies par la Rubrique.

Voilà tout ce que veut la Rubrique. De la messe *pro populo*, elle ne s'en occupe en aucune façon. Bien plus, cette translation accidentelle de la fête de S. Jean-Baptiste au 25 Juin *tanquam in sedem propriam*, n'établit qu'une *similitude* entre le 24 Juin, jour propre de la fête, et le 25, jour qui lui est assigné, *tanquam;* elle n'empêche pas que le vrai jour de la fête reste le 24 Juin ; la preuve, c'est que l'octave part de ce jour, et que le jour octave est comme toujours le 1er Juillet. Or, la messe *pro populo* est obligatoire pour le jour de la fête, et non pour un autre. Les curés ont donc satisfait à leur obligation par la messe du 24 Juin, tout comme ils satisfont parfois le dimanche, par une seule messe *pro populo*, à la double obligation qui provient du dimanche et d'une fête de précepte tombant accidentellement en ce jour.

Le *folium* de la cause de Pamiers et de Vittoria a, pour arriver à cette conclusion, un excellent argument : « Accedit in themate quod nullimode dubitetur quin ferialis sit dies 25 Junii : hoc enim ipsi instantes videntur admittere, Romæ observatur, et ubique receptum videtur. Porro, si ferialis habetur hic dies pro fidelibus, non intelligitur cur festivus et onere missæ gravatus debeat esse pro sacerdotibus. Etenim hæc duo, nempe obligatio audiendi sacrum et necessitas litandi pro populo, correlativa valde sunt ; imo olim in sua origine erant simultanea. Quod si hodie contingat observantiam diei festi non semper concurrere cum obligatione sacrificandi pro populo, hoc est in exceptionibus ab Apostolicis Constitutionibus apprime definitis (1). Ideoque præter hos

(1) Id est, propter Apostolicas Constitutiones reductionem festorum spec-

casus taxative exceptos, *qualis non est qui proponitur*, semper subsistit, quod obligatio offerendi pro populo cum obligatione audiendi sacrum concurrat. »

L'auteur du *folium* cite aussi des décisions précédentes, dans lesquelles la question est tranchée conformément à son avis. Bornons-nous à la cause de Trèves, du 24 Avril 1875.

Exponebat Episcopus quod « in civitate Trevirensi singulis annis in feria quarta tertiæ hebdomadæ post Pascha solemniter celebratur (et quidem de præcepto) commemoratio SS. Tunicæ D. N. J. C., quæ in ejusdem Cathedrali ecclesia in magnam populi ædificationem asservatur. Hoc festum anno 1871 occurrit die 3 Maii; hinc festum Inventionis S. Crucis D. N. J. C. in diem 11 ejusdem mensis translatum est, et in directorio illius diœcesis statutum fuit : *11 Maii. Fer. 5 (fiat applicat. pro paroch.). Inventio S. Crucis; dupl. 2 class. (fuit 3 hujus).* » Episcopus ad Parochorum instantiam quæsivit ab H. S. C. an tenerentur Parochi missam celebrare pro populo dicta die 11 Maii. Et responsum fuit : *In casu, de quo agitur, Parochum non teneri; idque notificetur Episcopo.*

La même solution a été donnée cette fois à Mgr l'Évêque de Pamiers et à Mgr l'Évêque de Vittoria. Voici la question et la réponse :

DUBIUM.

An animarum rectores teneantur applicare missam pro populo die 25 Junii, si in hanc diem occurrat transferri tanquam in sedem propriam festum S. Joannis Baptistæ in casu ?

R. — *Negative.*

Nous n'avons donc point à changer ce que nous avons dit sur ce point dans notre Dissertation : « L'obligation est

tantes, quæ populum ab obligatione audiendi sacrum et abstinendi a servilibus, non autem parochos a celebratione pro populo eximunt.

attachée *au jour même*, c'est-à-dire, au dimanche ou au jour d'incidence de la fête, et cela quand bien même les Rubriques exigeraient accidentellement la translation de l'office (1). »

III.

RÉPONSE AU VICAIRE CAPITULAIRE DE S.-BRIEUC.

Nous empruntons cette dernière décision à la *Revue Hebdomadaire de Lyon*, numéro du 5 Octobre 1888. Elle n'a pas donné lieu à un rapport imprimé, et on ne la trouvera pas même dans les causes traitées *per Summaria precum*, sans doute parce que la solution a paru facile. Il s'agit du vicaire chargé, après la mort de son curé, du soin de la paroisse jusqu'à la nomination du successeur : le Vicaire Capitulaire de S. Brieuc expose que ce vicaire ne touche point le traitement que le gouvernement français donne au curé, mais seulement la partie du casuel qui revient au curé pour certaines fonctions (par exemple, ce que nous appelons *le droit curial* à l'occasion des sépultures), et demande si, en cet état de choses, il est tenu à la messe *pro populo*. La question, adressée à Rome le 6 Août, a été résolue affirmativement le 23.

C'est ce que nous avions dit en exposant les *Règles du droit* qui concernent la messe *pro populo :* « Sont astreints à célébrer le saint Sacrifice pour leur troupeau, *ratione officii*... 4° Tous les curés, et tous ceux qui, sous quelque nom que ce soit, pour un temps ou pour toujours, ont la charge d'une *paroisse* canoniquement érigée. » Et nous avons ajouté en note : « Il faut comprendre ici tous les curés, séculiers ou réguliers, inamovibles ou amovibles; *le prêtre*

(1) *Loc. cit.*, pag. 494.

chargé de régir une paroisse vacante jusqu'à la nomination du titulaire, etc. (1). »

Cette décision se trouve formellement exprimée par Benoît XIV, dans la Bulle *Cum semper oblatas*. Après avoir cité le Concile de Trente, imposant l'obligation de la messe pour leur troupeau *omnibus quibus animarum cura commissa est*, et affirmé de nouveau cette obligation, Benoît XIV passe à l'examen des raisons (il dit des *prétextes*) qui sont parfois alléguées pour la décliner : « Non nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum. »

Dans le cas de S.-Brieuc, nous ne voyons que deux raisons sur lesquelles puisse s'appuyer le doute : 1° La qualité de *Vicaire*, du prêtre chargé de la paroisse ; il en est chargé accidentellement, transitoirement, par nécessité ; il n'est en aucune façon titulaire ; 2° Le défaut de traitement (ce traitement revient au seul curé ou desservant, et il ne l'a pas) et la modicité des revenus provenant uniquement du casuel.

Ces deux raisons existaient du temps de Benoît XIV : voilà le passage de la Bulle qui a rapport à la première : « Quum... non raro eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante, Vicarius ad implenda hujusmodi ecclesiæ onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *Sess. XXIV, cap. 18, de Reform.;* nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a prædicta obligatione subtrahere... eo quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curæ sint addicti... Itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod *omnes et singuli, qui actu*

(1) Pages 483 et 485.

animarum curam exercent, et non solum Parochi aut Vicarii sæculares, verum etiam Parochi aut Vicarii regulares, uno verbo, *omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, æque teneantur* missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso. »

Et voici pour la seconde raison : « Nonnulli vero, ad evitandum hujusmodi obligationis implementum, allegare solent congruos sibi Parochiæ suæ redditus non suppetere... Nos autem, ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus ; et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus et declaramus, quod, *licet Parochi, seu* ALII, UT SUPRA, ANIMARUM CURAM HABENTES *congruis præfinitis redditibus destituantur*, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus seu parochiis obtinuerit ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari. » Et pourquoi n'ajouterions-nous à ce passage celui dans lequel Benoît XIV ne veut pas même dispenser les curés *si pauvres qu'ils n'ont presque pour vivre que leurs honoraires de messes*, et se borne à les renvoyer à leurs Évêques, qui permettront de différer, *non tamen ultra hebdomadam*, la célébration de la messe due *pro populo*, si quelque fidèle leur demande une messe au jour où elle tombe?

M. le Vicaire Capitulaire de S. Brieuc s'est placé uniquement au point de vue du droit. Du moins, la *Revue Hebdomadaire* ne contient rien qui nous autorise à penser qu'il ait demandé une condonation pour le passé ou une faculté de dispenser dans l'avenir. Restons à ce même point de vue, et ne recherchons même pas si la Bulle *Cum semper oblatas* donne moyen d'introduire une demande de ce genre : mais

alors disons que la question était depuis longtemps tranchée, et que la réponse affirmative ne saurait surprendre.

Voici maintenant la supplique de S. Brieuc et le Rescrit de la S. Congrégation, tels que nous les trouvons dans la *Revue hebdomadaire de Lyon* :

Brioci in Gallia, die 6 Augusti, anno 1888.

In nostra, sicut, ut reor, in aliis Galliæ diœcesibus, mos invaluit ut, defuncto parocho, uni ex ejus vicariis cura parochiæ committatur, donec novus pastor deputetur. Hic vicarius in quibusdam casibus partem quidem percipit fructuum qui ob munia parochialia vulgo eveniunt ; stipendio tamen a gubernio parochis concesso minime fruitur. Quærimus ergo an in tali statu rerum, vicarii parochiales, dominicis et festivis aliisque de jure diebus, missam pro populo applicare teneantur ?

Et Deus.

Vicarius capitularis Briocen et Trecoren.

A. DUBOURG.

Relatis Sanctissimo Domino Nostro per infrascriptum Cardinalem Præfectum S. Congregationis Concilii litteris tuis diei 6 labentis mensis, quibus quæris utrum vicarii parochiales teneantur ad applicationem missarum pro populo, Sanctitas Sua rescripsit :

Teneri.

Quod dum tibi per præsentes notificamus, fausta omnia ipsi tibi precamur a Domino.

Romæ, 23 Augusti 1888.

Tui studiosus.

A. CARDINALIS EPISCOPUS SUBPRÆFECTUS.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

I.

SEBENICENSIS.

De indulgentiis annexis recitationi Parvi Officii B. Mariæ Virginis

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ex Decreto URBIS ET ORBIS, per hanc Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam editum sub die 17 Novembris 1887, ad ferventiorem in christiano populo fovendam pietatem ac devotionem erga Beatissimam Virginem, præter illas jam concessas a S. Pio V, alias impertitus est indulgentias Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. M. Virginis, uti illud prostat in Breviario Romano ab eodem S. Pio V recognito et approbato, huic S. Congregationi sequentia dubia dirimenda proposita fuerunt :

I. An Christifideles recitantes Officium parvum B. M. Virginis, quod est precatio stricto sensu liturgica, in quodvis vulgare idioma versum, etiam cum approbatione Ordinariorum, lucrentur Indulgentias a Summis Pontificibus adnexas recitationi ejusdem parvi Officii, uti innuere videntur plura decreta S. Congregationis Indulgentiarum, et illa præsertim edita sub die 30 Aprilis 1852 et sub die 29 Decembris 1864?

Et quatenus negative,

II. An expediat præfatas indulgentias extendere etiam ad recitationem ejusdem parvi Officii in quodcumque vulgare idioma versi?

Porro S. Congregatio, re mature perpensa, auditoque unius ex consultoribus voto, rescribendum censuit :

Negative ad utrumque.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 13 Septembris 1888.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI, Præfectus.

Alexander Episcopus Oensis, *Secretarius.*

Remarquons en passant que la date d'un des décrets cités dans la première question est fausse. Du moins, on ne trouvera ni dans la Collection de Ratisbonne, ni dans Prinzivalli, de décret portant la date du 30 Avril 1852. Nous pensons qu'il s'agit du décret du 30 Septembre de la même année, relatif à la treizième édition de la *Raccoltà*. Il y est dit que la douzième édition de cet ouvrage ne donne que le texte latin ou italien de certaines prières enrichies d'indulgences; et comme une treizième édition se prépare, le Souverain Pontife déclare que toutes les prières qu'elle contiendra, et que contiendront les éditions subséquentes, pourront être récitées *quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis.*

Le Décret du 29 Décembre 1864 a une portée plus générale. Le préambule rappelle la déclaration du décret précédent relative aux prières contenues dans la *Raccoltà*, et ajoute que la même déclaration se trouve expressément formulée en certaines concessions d'indulgences spéciales; puis, pour trancher toute controverse, il statue que désormais il en sera de même pour *toute prière* : « Indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles. »

Le Petit Office de la T. S. Vierge n'a jamais été inséré dans la *Raccoltà* ; il y est fait mention des indulgences attachées par S. Pie V à sa récitation, mais c'est tout. A prendre les choses strictement, le Décret de 1852 serait donc ici hors de cause : peut-on s'appuyer sur le Décret de 1864 pour

affirmer que la récitation du Petit Office en français ou dans une langue autre que le latin, est suffisante pour gagner les indulgences de S. Pie V ? Ceux qui l'ont cru se sont trompés : et nous avons déjà inséré dans la *Nouvelle Revue Théologique* (1) un Décret de 1887, qui distingue entre le Petit Office et les autres prières. Le Petit Office *recitandum est lingua latina;* le Décret de 1864 s'applique aux autres prières.

La décision rendue pour Sebenico répète la même règle et, de plus, refuse de changer cet état de choses. La supplique renferme un mot qui donne en partie la raison de la règle et du refus : on dit que le Petit Office de la T. S. Vierge *est precatio stricto sensu liturgica.* C'est vraiment une partie de l'office divin, et c'est comme tel que S. Pie V le considère dans sa Bulle *Quod a nobis* (2), où il accorde cent jours d'indulgence à ceux qui le récitent par obligation. C'est comme tel encore qu'il l'a réformé, comme il a réformé le Bréviaire Romain, et qu'il le présente dans la Bulle *Superni Omnipotentis* (3), où il supprime tous les anciens Offices, défend de s'en servir, ordonne de livrer les exemplaires aux inquisiteurs, et de se servir uniquement de l'office réformé par lui, maintenant la concession de cent jours d'indulgence à ceux qui le récitent par obligation, et accordant cinquante jours à ceux qui le récitent par dévotion (4).

Toutes les éditions de la *Raccoltà* se bornent à mentionner

(1) Plus haut, page 135.

(2) Voir cette bulle au commencement des Bréviaires, ou au *Bullaire romain,* t. IV, part. III, page 22.

(3) *Bullar. Rom., ibid.,* page 153.

(4) En ordonnant de livrer aux inquisiteurs les anciens exemplaires du Petit Office, S. Pie V dit que les exemplaires latins seront corrigés conformément au nouveau texte et rendus à leurs possesseurs, et que les exemplaires en langue vulgaire seront livrés *absque spe illorum unquam restitutionis.*

ces indulgences. A coup sûr, on n'aurait pas la pensée de conclure du Décret de 1864 que ceux qui sont obligés au Petit Office peuvent le réciter en français et satisfaire ainsi à leur obligation en gagnant les cent jours d'indulgence; mais c'est bien le même Office que le pape S. Pie V invite à réciter par dévotion, en ajoutant la même défense d'y changer quoi que ce soit. Concluons donc que le Petit Office de la Vierge n'a pas pu être compris dans le Décret de 1864 parmi les *prières* qu'il est permis de réciter en langue vulgaire, parce qu'il n'est pas une prière ordinaire, pas même une simple prière extraite de la liturgie : il est un office liturgique complet, préservé de toute modification par la Bulle de S. Pie V, et les indulgences ne sont que pour ceux qui le récitent comme tel, soit par obligation, soit par dévotion.

II.

DUBIORUM.

De injuncto opero orandi ad intentionem Summi Pontificis pro lucrandis indulgentiis.

Quum inter pia opera, quæ ad lucrandas indulgentias præscribuntur, fere semper injungatur aliqua oratio ad mentem seu intentionem Summi Pontificis effundenda, hinc sequentium dubiorum solutio ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum humiliter expostulatur :

I. Cum ad lucrandas indulgentias, sive plenarias, sive partiales, præscribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, sufficitne, ut nonnulli docent, orare mentaliter?

Et quatenus negative,

II. An sit rejicienda opinio docens recitationem devotissimam etiam unius *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri*, sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione, vel potius admittenda opinio illorum qui requirunt recitationem quinque *Pater* et *Ave*, aut orationes æquivalentes?

Quibus dubiis Sacra Congregatio rescripsit :

Ad I. *Laudabile quidem esse mentaliter orare, orationi tamen mentali aliqua semper adjungatur oratio vocalis.*

Ad II. *Detur Decretum in* UNA BRIOCENSI *sub die 29 Maii 1841 ad Dubium III.*

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem Sacræ Congregationis die 13 Septembris 1888.

SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI, PRÆFECTUS.

ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

La S. Congrégation a donné à la première de ces questions la solution promulguée par Benoît XIV à l'occasion du Jubilé de 1750, et a employé les mêmes termes que ce Pontife : « Injunctæ piæ preces..., satis erit, si vocales fuerint. *Qui sola mente... devote orare voluerit, laudandus est; aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat* (1). »

Benoît XIV explique, dans sa Constitution *Inter præteritos* (2), les motifs de cette décision; il n'a pas voulu s'écarter des considérations présentées par les auteurs : *Ab istorum considerationibus nihil recedentes.* C'est qu'en effet, les auteurs sont partagés : Viva (3), Quarti (4), se prononcent pour la suffisance de l'oraison mentale seule; Théodore du Saint-Esprit (5) est contre; De Lugo (6), Amort (7), Zaccaria (8), Van Ranst (9), etc., donnent raison à Théodore

(1) Const. *Convocatis,* n. 51.

(2) § 83.

(3) *De Jubilæo,* quæst. VIII, art. 5, dub. 7.

(4) *Tract. de Anno Sancto,* pag. 178.

(5) Cap. VI, § 1, n. 2.

(6) *De Pœnit.*, disp. XXVII, cap. 7, n. 3.

(7) *Quæstiones ac resolutiones practicæ,* quæst. 74.

(8) Lib. 3, cap. 3, § 3, n. 6.

(9) *De Indulg.*, quæst. VII, n. 20.

du Saint-Esprit, ou au moins trouvent qu'il est plus sûr d'ajouter à l'oraison mentale des prières vocales. Les arguments pour et contre sont graves. Ce qui est prescrit, dit Viva, c'est de *prier;* rien de plus n'est spécifié; donc toute prière, et, par conséquent, la prière mentale est suffisante. Oui, répond Théodore du Saint-Esprit, il est prescrit de prier, et les Souverains Pontifes disent souvent : *Qui pias preces effuderint.* Tels sont leurs termes, et ils suffisent; car, « *precatio* proprie non sola mente concipitur, sed lingua et vocibus exprimitur. » C'est là le sens propre du mot *preces;* c'est ainsi que l'entendent communément les fidèles; c'est ainsi qu'il faut l'entendre : car l'Église est une société extérieure et sensible, elle n'a pas coutume de prescrire des actes purement intérieurs, « et quando injungit suo nomine orare, externam intendit orationem (1). » S. Liguori, tout en reconnaissant la probabilité de l'opinion de Viva, déclare avec Lacroix et Holzmann que cette dernière est plus commune.

La réponse de la S. Congrégation ne saurait donc étonner : elle maintient la règle très sage donnée par Benoît XIV, et, disons-le, très communément enseignée par les auteurs et mise en pratique par les fidèles.

II. — Sur le second doute, la S. Congrégation renvoie à une décision rendue le 29 Mai 1841. En voici la teneur :

An sufficiant quinque *Pater* et *Ave,* quæ recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando præscriptum est ut visitetur ecclesia vel altare ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda indulgentia plenaria præscriptum est associatis Operi Propagationis Fidei?

R. *Preces requisitæ in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur.*

(1) *S. Ligorius,* lib. VI, n. 538, quær. 10.

L'auteur ou les auteurs des deux doutes résolus le 13 Septembre 1888, ou bien ne connaissaient pas la décision IN BRIOCEN, ou ne la trouvaient pas suffisamment explicite. Peut-être ont-ils pensé que, par la déclaration ci-dessus, la S. Congrégation entendait maintenir à chaque fidèle la liberté de choisir les prières à réciter, lorsqu'elles ne sont pas déterminées dans l'indult de concession, et par conséquent de choisir entre des *Pater* et *Ave* ou toute autre prière. En effet, la décision a bien ce sens, mais ne va-t-elle pas plus loin? Les consultants du diocèse de Saint-Brieuc ne demandaient point s'*il faut* nécessairement dire cinq *Pater* et *Ave*, auquel cas la réponse de la S. Congrégation, prise dans le sens ci-dessus, eût été adéquate; ils voulaient savoir s'*il suffit* de dire cinq *Pater* et *Ave*, et on leur répond que les prières à dire sont laissées au jugement de chaque fidèle : la conclusion n'est-elle pas que le nombre de *Pater* et d'*Ave*, ou, d'une manière plus générale, que la durée des prières à réciter n'est point fixée, et que chacun peut agir comme il le juge convenable?

Admettons que cette conclusion ait pu paraître douteuse; elle ne l'est plus après le Décret actuel: car la S. Congrégation est mise nettement en demeure de se prononcer entre l'opinion qui requiert une prière d'une certaine durée, comme celle de cinq *Pater* et cinq *Ave*, et celle qui prétend que la durée importe peu, pourvu que la prière soit pieuse. Ainsi interrogée, la S. Congrégation renvoie à la décision IN BRIOCEN : c'est déclarer qu'on y trouvera la solution, et par conséquent que la durée des prières à faire est *ad libitum uniuscujusque fidelis*.

Conclusion. Le Souverain Pontife enjoint, comme condition de l'indulgence, de prier *pieusement* ou *dévotement*; il dit ordinairement : *Qui pias preces effuderint, qui devote oraverint*, etc. La durée de la prière importe peu;

ce qui importe, c'est la dévotion et la ferveur de la prière. Et que ceux qui seraient portés à une prière très courte, n'oublient point cette réflexion de Benoît XIV : « Licet enim oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, præscripto ac legi... satisfacere possit; plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo, sive tædio, negligentiaque proficisci solet (1). »

(1) Const. *Inter præteritos*, § 83.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

I.

LAMACEN.

Matière des autels portatifs ; nécessité des Reliques.

Rmus Ordinarius Diœceseos Lamacen exponens altaria plurima suæ Diœceseos Ecclesiarum Sacros lapides præseferre e quodam schisto lapide *(cemento)* efformatos satis duro, quorum alii omnino Sanctorum Reliquias continent, alii omnino iisdem carent ; ac præterea reperire etiam sacros lapides e gypso conflatos, etsi reliquiis instructos ; insequentia Dubia pro opportuna solutione S. Rituum Congregationi humillime subjecit, nimirum :

Dubium I. An usus sacrorum lapidum Reliquiis carentium servari possit ?

Dubium II. An retineri possint sacri lapides e schisto illo lapide efformati ?

Dubium III. An retineri possint sacri lapides Reliquiis Sanctorum instructi, e gypso tamen constantes ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, re mature perpensa, rescribere rata est, nimirum :

Ad I. *Negative ;*

Ad II. *Affirmative ;*

Ad III. *Negative.*

Atque ita rescripsit die 29 Aprilis 1887.

La S. Congrégation affirme en ces décisions deux règles assez connues par des réponses antérieures.

I. Elle admet le schiste dont parle Mgr l'Évêque de Lamego comme matière des autels, elle repousse le gypse ou plâtre. Que nos lecteurs veuillent bien se rappeler une décision du 24 Novembre 1885 : « Aræ seu altaria portatilia, quæ constant ex vero lapide duro et compacto, etsi non marmoreo, idonea haberi debent; quæ autem confecta sunt ex lapide puniceo, sive ex gypso, aut alia simili materia, illicita prorsus sunt (1). »

II. De même, de nombreuses décisions antérieures affirment la nécessité des Reliques dans les autels portatifs (2). Mgr l'Évêque de Lamego n'a posé que la question de principe : il a demandé si l'on peut continuer à se servir de pierres sacrées qui n'ont pas de reliques; la réponse ne peut être que négative. Est-ce à dire, si ces pierres sont nombreuses dans un diocèse, qu'il faille, pour les remplacer, consacrer immédiatement une grande quantité de nouvelles pierres? Ce serait souvent d'une assez grande difficulté pratique; nos lecteurs savent que la S. Congrégation des Rites accorde ordinairement en pareil cas de ne pas consacrer de nouveau ces pierres, et de se contenter d'y insérer des Reliques selon le rite prescrit par le Pontifical. Voici le passage important de la concession :

Nimirum ut, juxta praxim receptam omnium Ecclesiarum, in iisdem aris antea rite efformato sepulchro, Episcopus ipse, vel per se, vel per simplices presbyteros hoc tantum in casu Apostolicæ Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum Reliquias in iisdem aris reponat, iis solummodo cæremoniis servatis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur dum in sepulchro reconduntur Reliquiæ et superponitur lapis; scilicet, ut signetur sacro Chrismate confessio sive sepulchrum, et interim dicatur Oratio :

(1) *Nouv. Rev. Théol.*, XVIII, pag. 368.

(2) Vid. signanter S. R. C. IN RHEDONEN, 6 oct. 1837 (Gardell., n. 4838).

Consecretur et sanctificetur, etc., postea reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris, et superposito operculo ac firmato, dicatur altera Oratio : *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum,* etc., et nihil aliud (1).

Les pierres sacrées dont parle Mgr l'Évêque de Lamego manquaient totalement de reliques : d'autres irrégularités se présentent parfois. La règle est formulée ainsi par Gardellini : « Reliquiæ Sanctorum quæ reponuntur, Martyrum esse debent, et plurium; et solum permittitur ut cum his Sanctorum Confessorum Reliquiæ uniantur, illorum præsertim in quorum honorem vel ecclesiæ vel altaria dedicantur. Plurium autem Sanctorum Reliquiæ ponendæ sunt, ut verba sacerdotis in prima altaris deosculatione verificentur, *quorum Reliquiæ hic sunt;* sicuti etiam pars aliqua corporum reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi (2). » La décision IN ARGENTINEN, que nous allons rapporter tout à l'heure nous apprend la pratique de la S. Congrégation, quand on lui expose qu'on a inséré dans l'autel les reliques d'un seul Saint, martyr, et qu'il est difficile de le consacrer à nouveau ; elle accorde une sanation. Nous le disons tout de suite pour réunir dans un même article ce qui regarde la nécessité des Reliques dans les autels.

II.

ARGENTINEN.

Reliques dans les autels ; sépultures trop rapprochées des autels.

In Argentina Republica quamplurima existunt Missionum Collegia Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia,

(1) Cf. Gardellini, n. 5162; *Nouv. Rev. Théol.*, XIII, p. 580; XIV, p. 481.

(2) Gardellini, in Decretum 23 Maii 1835, GRATIANOPOLITANA, not. 1 (n. 4742).

quibus præest Rmus Pater Salvator Massa ejusdem Ordinis. Hic pro suo munere Commissarii Generalis exposuit S. Apostolicæ Sedi quod anno 1870, de consensu illius Ordinarii, a Patre Missionibus Præfecto viginti circiter tabulæ lapideæ, vulgo *Pietre sacre*, consecratæ fuerunt, quarum in aliquibus unica tantum Martyris Reliquia, in aliis vero ob Reliquiarum Sanctorum defectum nulla Reliquia inclusa fuit; 2° Quod in quodam sacristiæ oratorio novem abhinc annis sepultum fuit cadaver cujusdam Religiosi prope infimum altaris gradum, ita ut ab hoc debita distantia desideretur. Hinc saltem ad cautelam sanationem seu dispensationem idem Commissarius expetivit. At Sacrorum Rituum Congregatio, audita relatione infrascripti Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuit : Quoad primum, ut lapides Sanctorum Reliquiis carentes iterum rite consecrentur (1); cæterorum vero qui unicam tantum Reliquiam habent, si tamen a primis distingui valeant (2), et in casu quod facile rursus consecrari nequeant, eadem Sacra Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, peractæ consecrationis defectus sanationem impertitur. Præcipit autem, quoad alterum, ut sepultura seu cadaver quantocius removeatur, atque in debita distantia ad tramitem Decretorum collocetur. Atque ita rescripsit ac servari mandavit quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

Die 16 Januarii 1886.

D. CARD. BARTOLINIUS, Præfectus.
LAURENTIUS SALVATI, *Secretarius*.

Nous avons suffisamment parlé de ce qui concerne les Reliques à l'occasion de la décision précédente ; c'est sur la

(1) La S. Congrégation ordonne de consacrer à nouveau ces autels, sans doute parce qu'ils sont peu nombreux (moins de vingt), et qu'il semble peu onéreux d'en faire la consécration entière.

(2) La S. Congrégation insère cette condition, parce qu'elle ne veut aucunement s'exposer à tolérer des autels qui manquent totalement de reliques : il y a donc pour elle une différence bien marquée entre les deux cas.

seconde question traitée ici que nous voulons appeler l'attention des lecteurs. La règle dont il y est parlé est très souvent violée; et pourtant, combien de fois a-t-elle été rappelée par les décisions des Congrégations romaines?

Les auteurs s'accordent sur l'origine, comme sur le motif de la règle : « Ex Concilio Vasensi relato in *Can. Præcipiendum, 13, quæst. 2*, ibi : *Intra Ecclesiam vero, et prope altare, ubi corpus et sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur*. Quod exstat in Concilio Nannetensi, *can. 6, alias 11*, ex quo citatur a Burchardo et Ivone. Quoniam hic honor est ex illis qui, secundum consuetudinem Ecclesiæ, tribui solet Sanctis, quibus jam Ecclesia concessit venerationem (1). »

En conséquence, les auteurs et les décisions des Congrégations romaines sont d'accord pour dire qu'un autel érigé sur un tombeau ne peut être consacré; que, s'il est consacré déjà, il doit être interdit, et la messe ne peut y être célébrée. Et la défense s'entend non seulement de l'autel lui-même, mais du marchepied : « Altare erectum supra aliquod sepulchrum non potest consecrari. Quod procedit etiamsi in eo nemo sit sepultus : si autem quispiam sepultus sit, extrahendum est ejus cadaver, sive ossa et cineres, et replendus locus; sicut etiam debet repleri etiamsi nemo ibi fuerit tumulatus. Ita statuitur in *Can. Non oportet, de Consecr. d. 1*, et tradunt communiter, etc... Et ita pluries decrevit Sac. Congregatio super Episcopis, nominatim vero IN INTERAMNEN die 13 Septembris 1593, nempe : *Altaria, sub quorum pradellis cadavera sunt sepulta, licet propterea consecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera, vel altaria ipsa in alium deferantur locum*; et in eadem 8 Februarii 1599 : Episcopo, *che*

(1) Pignatelli, *Consult. Canon.*, t. IV, Cons. XXXII, n. 1.

